



SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV·ANG·
CHRISTO ET ECCLESIÆ
VE RI TAS

DE

ANTISTHENIS CYNICI

VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

ADOLPHUS MUELLER
HERSFELDENSIS.

MARBURGI CATTORUM
MDCCCLX.

Caput I.

De Antisthenis vita.

Antisthenes Atheniensis natus est c. Olymp. 84, 1 (444 a. Ch. n.)[1] patre ejusdem nominis[2], matre serva[3], quam Seneca[4], Diogenes Laërtius[5], Suidas[6] Thressam, Plutarchus[7] falso, ut videtur, Phrygiam appellat. Cujus error ex dicto quodam Antisthenis fluxisse videtur, cui cum mater barbara exprobraretur, etiam deorum mater, inquit, Phrygia (i. e. barbara) est. Clemens autem Alexandrinus[8], qui Antisthenem ipsum vocat Phrygium, aut eodem dicto in fraudem inductus est aut eum cum Diogene Sinopensi confudit. De patre

---

1) Vide ea quae infra de temporum ratione accuratius exposuimus.

2) Diog. L. VI, 1. *Ἀντισθένης Ἀντισθένους Ἀθηναῖος.* cf. I, 19. — Plat. Phaedo. p. 59 B. — Suidas s. v. *Ἀντισθ.*

3) Diog. L. VI, 4: *ὀνειδιζόμενός ποτε ὡς οὐκ εἴη ἐκ δύο ἐλευθέρων, „οὐδὲ γὰρ ἐκ δύο“, ἔφη, „παλαιστικῶν, ἀλλὰ παλαιστικός εἰμι.“*

4) De Const. Sap. c. 18. Antistheni mater barbara et Thressa objiciebatur; respondit, et deorum matrem Idaeam.

5) VI, 1; II, 31.

6) s. v. *Ἀντισθ.*

7) De Exil. c. 17 p. 607 B. Wyttenb. *τὸ δὲ τοῦ Ἀντισθένους οὐκ ἐπαινεῖς; πρὸς τὸν εἰπόντα, ὅτι Φρυγία σού ἐστιν ἡ μήτηρ· καὶ γὰρ ἡ τῶν θεῶν.*

8) Strom. I, c. 15 p. 354 Potter. *Ἀντισθένης δὲ Φρὺξ ἦν.*

ejus nihil constat; quod enim Eustathius[1]) Antisthenem dicentem facit, patrem salsamentarium fuisse, ad Bionem potius Borystheniten referendum esse videtur[2]).

Cum e matre peregrina natus esset, in numero nothorum atque ex lege sive a Solone sive a Pericle demum lata[3]) civitate Attica privatus erat; quae lex quamquam belli Peloponnesiaci temporibus obsolevit et Euclide archonte per Aristophontem ita restituta est, ut omnes, qui ante id tempus matre peregrina nati essent, exciperentur, tamen capitis deminutio, quae Antistheni puero adolescentique injuncta erat, sine dubio magnum momentum habuit ad mores ejus fingendos et severitatem morositatemque, quae natura ei insita fuisse videtur, magis etiam irritavit.

Proelio Tanagrensi, quod Thucydide[4]) auctore commissum est aestate anni 426 a. Ch. n. (Ol. 88, 3), tantam fortitudinis laudem sibi peperit, ut Socrates diceret, neminem ex duobus Atheniensibus natum tam fortem virum se praestaturum fuisse[5]). Non est vero cur huic Diogenis Laërtii narrationi diffidamus. Quod enim Lucianus[6]) parasitum dicentem facit, Antisthenem aliosque philosophos ne vidisse quidem unquam aciem, haud magni momenti est. Nam facile fieri potuit, ut vel plane ignoraret, Antisthenem illi proelio interfuisse, vel hoc loco, ubi totum philosophorum gregem ignaviae insimulat, memoriae lapsu inter alios enumeraret etiam Antisthenem. Nuper autem Zellero[7]) res ideo in suspicionem venit, quod illo dicto Antisthenes perinde induceretur, quasi jam proelii illius tempore inter Socratis fuisset familiares; id quod cum iis, quae ipse p. 201 sq., nos infra (cap. I extr.) exposuimus, pugnare demonstrat.

1) Ad Iliad. ζ' p. 495. *ἐντεῦθεν καὶ ὁ Κυνικὸς Ἀντισθένης χρησάμενος πρὸς τὸν ἀνακρίνοντα τὸ γένος αὐτοῦ, εἰπών, ὡς ἐμὸς πατὴρ μὲν ἦν τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος ἢ γοῦν ταριχέμπορος, καὶ τὰ ἑξῆς ἐπάγει τὸ*

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

2) Cf. Diog. L. IV, 46 cum annotatione Menagii. — Suid. s. v. *ἀγκών*.

3) Cf. C. Fr. Hermanni antiquitat. Gr. I. § 118.

4) III, 91. cf. Clinton. fast. Hell. ad a. 426.

5) Diog. L. VI, 1. *ὅθεν καὶ ἐν Τανάγρᾳ κατὰ τὴν μάχην εὐδοκιμήσας ἔδωκε λέγειν Σωκράτει ὡς οὐκ ἂν ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν οὕτω γεγόνοι γενναῖος*. cf. II, 31.

6) Parasit. c. 43. *Ἀντισθένης μὲν οὖν καὶ Διογένης καὶ Κράτης καὶ Ζήνων . . . καὶ πᾶς οὗτος ὁ ὅμιλος οὐδὲ εἶδον παράταξιν*

7) Hist. phil. Gr. II, p. 201, 3 (ed. II.).

Itaque cum Diogenes Laërtius alio loco idem dictum diverso modo afferat[1]), narrationem de virtute Antisthenis proelio Tanagrensi comprobata postea demum affictam esse existimat. Sed ejusmodi discrepantiam apud Diogenem non semel tantum reperias, atqne id ipsum, quod rem ad illud proelium Tanagrense haud sane magnum aut notum retulit, veritatis speciem praebet. Deinde nonne fieri potuit, ut Socrates multo demum post, cum Antisthenes jam uteretur ejus consuetudine, oblata occasione illius proelii mentionem faceret? Denique ne necessarium quidem esse videtur statuere, illo dicto Antisthenem jam in numero referri Socratis familiarium. Nam cum hic multum fuerit cum sophistis, Antisthenem, eorum alumnum, etiam ante id tempus, quo factns est Socratis discipulus, in notitiam ejus pervenisse consentaneum est.

Priusquam enim Socrati se addixit, disciplinâ usus est Gorgiae rhetoris[2]), quem satis constat Ol. 88, 2 (427) primum Athenas venisse ibique saepe commoratum esse. Per Gorgiam cum Eleaticae philosophiae scientiam consecutus esse videtur, tum imprimis arte rhetorica, quam ille praecipue factitabat, instructus est. Cujus disciplinae vestigia in genere dicendi Antisthenis apparuisse infra commemorabimus. Narratur etiam in Isthmiorum frequentia et vituperare et laudare voluisse Athenienses, Thebanos, Lacedaemonios; sed multitudine eorum, qui ex his urbibus confluxissent, ab eo consilio deterritus esse fertur[3]). Quis est quin statim reminiscatur Gorgianae illius in utramque partem disputandi artis, quae rem augebat laudando vituperandoque rursus affligebat[4])? Neque solum cum Gorgia, sed etiam cum aliis sophistis ei necessitudinem intercessisse, Socrates in Symposio Xenophontis[5]) auctor est, qui Calliam ab Antisthene ad Prodicum et Hippiam adductum esse commemorat. Protagoram quoque ei haud ignotum fuisse inde colligere licet, quod ab eo et

---

1) II, 31. *εἰπόντος γοῦν τινος αὐτῷ ὡς εἴη Ἀντισθένης μητρὸς Θρᾴττης, „σὺ δ' ᾤου“, ἔφη, „οὕτως ἂν γενναῖον ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γενέσθαι;“*

2) Diog. L. VI, 2. *Οὗτος κατ' ἀρχὰς μὲν ἤκουσε Γοργίου τοῦ ῥήτορος.* — cf. Suid. s. v. *Ἀντ.* *„ἀπὸ ῥητόρων φιλόσοφος Σωκρατικός.“*

3) Diog. L. VI, 2. *φησὶ δ' Ἕρμιππος, ὅτι προείλετο ἐν τῇ τῶν Ἰσθμίων πανηγύρει ψέξαι τε καὶ ἐπαινέσαι Ἀθηναίους, Θηβαίους, Λακεδαιμονίους κ. τ. λ.*

4) Cic. Brut. c. 13, 47.

5) IV, 63. *οἶδα μέν, ἔφη, σὲ Καλλίαν τουτονὶ προαγωγεύσαντα τῷ σοφῷ Προδίκῳ ... οἶδα δέ σε Ἱππίᾳ τῷ Ἠλείῳ κ. τ. λ.*

titulum libri cujusdam, qui inscribebatur *Ἀλήθεια*, et illud decretum, nulli sententiae contradici posse, assumsit[1]).

Qua sophistarum disciplina per satis longum temporis spatium usus esse videtur[2]). Itaque quamquam postea summo studio Socratis familiaritatem amplexus est et Gorgiam magistrum tum adeo sprevit, ut singulari eum libro insectaretur[3]), tamen e sophisticis illis exercitationibus redundasse aliquid ad philosophiam Antisthenis conformandam, quis est qui infitias eat? Etiam scholas rhetoricas habuisse videtur, si quidem qui usque ad id tempus ejus fuerant discipuli eos monuit, ut sui apud Socratem fierent condiscipuli[4]).

Cum enim Antisthenes in Socratis se dedisset consuetudinem, tanto captus est ejus amore, ut ab eo postea nunquam discederet et in numero discipulorum ejus haberetur fidelissimorum. Itaque Socrates ipse apud Xenophontem[5]) commemorat, Apollodorum et Antisthenem semper vestigia sua premere et per dissimulationem, qua uti solet, magicis artibus id effici dicit[6]). Quid quod Antisthenes ex Piraeeo, ubi habitabat, quotidie quadraginta stadiis confectis Socratis audiendi causa ad urbem migrabat[7])? Suavissimum exemplum amicitiae eorum in Xenophontis Symposio exstat. Antisthenes ibi divitiis suis gloriatur, non iis quidem, quas vulgus concupiscere soleat, sed animi bonis, quae Socrates summa liberalitate secum communicaverit[8]), maximi autem se id ducere ait, quod otio una cum Socrate frui possit[9]); et cum alio loco Socrates ex eo quaerat, num solus neminem amet, „immo vero per deos immortales“,

---

1) Cf. cap. II, 7.

2) Cf. cap. I extr.

3) Cf. cap. II, 32.

4) Diog. L. VI, 2: *ὕστερον δὲ παρέβαλε Σωκράτει καὶ τοσοῦτον ὤνατο αὐτοῦ, ὥστε παρῄνει τοῖς μαθηταῖς γενέσθαι αὐτῷ πρὸς Σωκράτην συμμαθητάς.* — Accuratius Hieronymus contra Jovin. II, 14: Antisthenes cum gloriose docuisset rhetoricam audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos: abite et magistrum quaerite, ego enim jam reperi.

5) Memorab. III, 11, 17: *Ἀλλὰ διὰ τί οἴει Ἀπολλόδωρόν τε τόνδε καὶ Ἀντισθένην οὐδέποτέ μου ἀπολείπεσθαι; κ. τ. λ.* — Cum Socrate colloquens inducitur II, 5.

6) Cf. Philostr. Vit. Apoll. IV, 25: *παθὼν πρὸς Ἀπολλώνιον ὅπερ φασὶ τὸν Ἀντισθένην πρὸς τὴν τοῦ Σωκράτους σοφίαν παθεῖν.*

7) Diog. L. VI, 2.

8) IV, 34 sq.

9) Ibid. § 44.

inquit, „te quidem vehementissime“[1]). — Non mirum quod Socrates discipulum tam studiosum non minore amore amplexus est. Jam supra narravimus, quantis laudibus fortitudinem Antisthenis proelio Tanagrensi comprobatam extulerit; apud Xenophontem vero artem hominum inter sese conciliandorum (*μαστροπείαν, προαγωγείαν*), qua ipse gloriabatur, praeter omnes etiam Antistheni tribuit[2]). Ceterum magnam inter se exercebant libertatem alter alterum vel adhortantes vel irridentes. Itaque Socrates cum Antisthenem laceratam partem pallii consulto oculis hominum subjicere cognovisset, per pallium, inquit, tuam video gloriae cupiditatem[3]). Antisthenes rursus non veretur Socratem reprehendere, quod Xanthippen non satis coërceat[4]); etiam de daemonio ejus dubitare videtur[5]). Semper vero magistrum gratissimo animo prosecutus est[6]), non tam novam disserendi artem in Socrate admirans, quam illam patientiam et duritiam, cujus exemplum ipse moribus totaque vita exprimere studuit[7]). Ad dialecticas enim disputationes eum parum aptum fuisse cum tota ratione, quam ipse postea instituit, tum iis probatur judiciis, quae Plato[8]) et Aristoteles[9]) de eo fecerunt.

---

1) Ibid. VIII, 4.

2) Ibid. IV, 62 sq.

3) Diog. L. VI, 8; II, 36. — Aelian. Var. Hist. IX, 35.

4) Xenoph. Symp. II, 10.

5) Ibid. VIII, 5.

6) Etiam in scriptis suum erga Socratem amorem declaravit. cf. Athen. V, p. 216 B *χαρίζεται γὰρ καὶ ὁ Κύων οὗτος πολλὰ τῷ Σωκράτει.*

7) Cic. De Orat. III, 17: „deinde ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici.“ — Diog. L. VI, 2 *ἤκουσε Σωκράτους, παρ' οὗ καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ.* VI, 11. *αὐτάρκη γὰρ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν μηδενὸς προςδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος.* —

8) Soph. 251 B. *τῶν γερόντων τοῖς ὀψιμαθέσι — καὶ ὑπὸ πενίας τῆς περὶ φρόνησιν κτήσεως τὰ τοιαῦτα τεθαυμακόσι.* (cf. ea quae infra cap. I extr. et cap. II, 7 sq. exposuimus). Theaeteti quoque locus (156 A), ubi Plato commemorat homines quosdam *σκληροὺς καὶ ἀντιτύπους* et *μαλ' εὖ ἀμούσους*, ad Antisthenem pertinere videtur (cf. Winckelm. Antisth. fragm. p. 36 et Zeller. l. l. II, p. 206, 4), nec temere ille suspicatur, vocabulo *ἀντιτύπους* et narratiuncula de Thressa Thaletem deridente (174 A sq.) vel ejus nomen et genus significari.

9) cf. locos quos cap. II, 7. laudavi.

Quam aegre Antisthenes supplicium magistri carissimi tulerit, facile conjicias. Plato eum nominatim inter eos commemorat, qui Socratis sermonibus interfuerunt eo die, quo exhausit illud mortis poculum[1]). Gravissimo autem odio accusatores Socratis persecutus est, immo interitum iis attulisse existimandus esset, si Diogeni Laërtio fides haberi posset narranti[2]), Antisthenem et Anyto exilii et Meleto mortis auctorem fuisse videri. Ac de Meleto quidem hoc loco nihil addit[3]); de Anyto autem narrat, Antisthenem, cum occurrisset Ponticis quibusdam adolescentibus Socratis audiendi causa Athenas profectis, ad illum eos deduxisse, scilicet quod sapientior esset Socrate; tum vero eos qui circumstarent id indignatos ex urbe expulisse Anytum[4]). Sed ne in exilio quidem justas poenas effugisse fertur. Iidem enim illi adolescentes cum in patriam redissent, tantum civium suorum odium in Anytum excitasse videntur, ut eodem die, quo exul Heracleam Ponticam venit, urbe excedere juberetur[5]) et ab Heracleotis injectis lapidibus necaretur[6]).

Ceterum silentio praeterire non possum, Forchhammerum[7]),

1) Phaed. 59 B.

2) VI, 9. 10. *αὐτὸς καὶ Ἀνύτῳ τῆς φυγῆς αἴτιος γενέσθαι δοκεῖ καὶ Μελήτῳ τοῦ θανάτου. Ποντικοῖς γὰρ νεανίσκοις κατὰ κλέος τοῦ Σωκράτους ἀφιγμένοις περιτυχὼν ἀπήγαγεν αὐτοὺς πρὸς τὸν Ἄνυτον εἰπὼν ἐν ἤθει σοφώτερον εἶναι τοῦ Σωκράτους· ἐφ' ᾧ διαγανακτήσαντας τοὺς περιεστῶτας ἐκδιῶξαι αὐτόν.*

3) Alio loco (II, 43) eum legitimo Atheniensium judicio damnatum esse significat. Cf. Themistii Orat. XX p. 239 C. Suidas autem (s. v. *Μέλητος*) eum subito plebis tumultu perisse indicat (cf. Augustin. De Civ. Dei VIII, 3), id quod Diodorus (XIV, 37) de omnibus accusatoribus memoriae prodidit. Denique Plutarchus eos sibi ipsos mortem conscivisse perhibet. (De Invid. c. 6 p. 538 A). — Cf. C. Fr. Hermanni ind. lect. Gotting. 185½ (De Socrat. accusatoribus) p. 8 sq.; 11 sq., qui diversa veterum scriptorum testimonia inter se conciliare studuit.

4) Cf. II, 43, Themist. et Augustin. l. l.

5) Diog. L. II, 43. *Ἄνυτόν τε ἐπιδημεύσαντα αὐθημερὸν ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται.*

6) Themist. l. l. *καὶ ἔφυγεν Ἄνυτος ἐκ τοῦ ἄστεος, καὶ αὐτὸν κατέλευσαν διὰ Σωκράτην οἱ Ἡρακλεῶται οἱ ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ νῦν δείκνυται Ἀνύτου αὐτόθι σῆμα ἐν τῷ προαστείῳ οὐ μακρὰν θαλάττης, οὗπερ καὶ ἔβαλλον τὸν Ἄνυτον οἱ Ἡρακλεῶται.*

7) De Atheniens. et Socrate p. 66 sq.

Grotium Britannum[1]), Zellerum[2]) his omnibus, quae veteres scriptores de Atheniensibus Socratis mortem postea dolentibus et de accusatoribus ejus punitis memoriae prodiderunt[3]), fidem abrogare. Neque negari potest, argumenta, quae illi viri docti testimoniis eorum opposuerunt, maximi esse momenti. Primum enim — ut Zelleri sententiam paucis referam — auctores illi et posterioris demum aetatis sunt neque tam fide digni, ut iis satis credere possimus; deinde in omnibus fere singulis rebus magna est inter eos discrepantia; denique — id quod maximum est — neque Plato neque Xenophon neque is qui Apologiam Xenophonteam scripsit illius rei usquam faciunt mentionem, immo Xenophon quinque annis post mortem magistri eum contra crimina accusatorum defendere studet et multo etiam post Aeschines[4]) ipsam condemnationem Socratis argumenti loco affert, id quod eum non facturum fuisse existimandum est, si Athenienses ipsos ita ejus poenituisset, ut ab accusatoribus poenas repeterent. — Quocirca multum abest, ut quae supra exposui omnia pro certis habeam. Attamen haesito an ea quidem, quae de Anyto Heracleam Ponticam profecto ibique necato narrantur, praesertim cum Themistius[5]), ex ipsa illa regione oriundus, commemoret, sua etiam aetate Heracleae exstare Anyti sepulcrum — *καὶ νῦν δείκνυται Ἀνύτου αὐτόθι σῆμα ἐν τῷ προαστείῳ οὐ μακρὰν θαλάττης, οὗπερ καὶ ἔβαλλον τὸν Ἄνυτον οἱ Ἡρακλεῶται* — speciem quandam veritatis praebeant[6]). Certe vix explicari posse mihi videtur, quomodo factum sit, ut Anytus a reliquis disjungeretur ejusque interitus et sepulcrum ad Heracleam potissimum et non pariter ad ipsas Athenas referretur. Itaque id quidem non commenticium esse arbitror, Any-

---

1) Hist. Graec. VIII p. 683 sq. (edit. Brit.)

2) Hist. phil. Gr. II p. 138, 1.

3) Cf. locos quos p. 8, 3 laudavi et eos quos Menagius ad Diog. L. II, 43, Zellerus l. l. collegerunt.

4) Adv. Tim. §. 173.

5) Cf. p. 8, 6.

6) Forchhammero autem Themistium ideo impugnanti (p. 67), quod incredibile sit, Heracleotas et ipsos poenitentia captos Anyto mortuo honoris monumentum erexisse, recte C. Fr. Hermannus (l. l. p. 12) sic occurrit, ut „ipsam lapidum congeriem tumuli vel monumenti instar haberi potuisse" dicat.

tum nescio qua de causa[1]) Heracleam venisse ibique morte occubuisse. Forsitan id quoque concedere non dubites, odio in Socratis accusatorem Heracleotas incitatos esse, ut eum necarent. Ex his autem, quae historiae fide non carere videntur, cetera, quae de Atheniensium poenitentia et de accusatoribus Socratis punitis traduntur, postea demum ficta esse suspicor. Primum enim ut explicaretur, cur Anytus profectus esset Heracleam, propter Socratis accusationem ab Atheniensibus in exilium ejectus esse ferebatur; deinde reliqui accusatores ne impune injurias tulisse viderentur, ab ipsis Atheniensibus supplicio affecti esse putabantur. — Hanc rationem, qua nodum expediri censeo, num hominibus doctis probaturus sim nescio; id certe persuasum habeo, in iis, quae de interitu accusatorum Socratis memoriae prodita sunt, subesse aliquid certi verique, quod qui pernegaverint, frustra laborabunt, ut tot illa veterum scriptorum testimonia, imprimis Diogenis Laërtii et Themistii, probabiliter explicent. Sed haec hactenus. Redeamus ad Antisthenem.

Probabile est eum mortuo demum Socrate scholam aperuisse, quae postea Cynicae cognomine tantam adepta est famam. Illo autem tempore praeter Lyceum et Academiam tertium gymnasium Athenis maxime florebat, Cynosarges, quod in colle ante portam Diomeam in dextra Ilissi ripa situm erat[2]). Ac proprie Cynosarges erat τέμενος Herculi consecratum, qui ibi templum habebat et una cum Hebe, Alcmene, Jolao colebatur. Veteres autem scriptores narrant[3]), Diomo cuidam domi suae Herculi sacrificium facienti canem hostiam eripuisse, ereptam eo loco, quo postea Cynosarges erat, deposuisse; illum vero timore affectum consuluisse oraculum et ex responso ejus eo ipso loco templum aedificasse Herculi. Unde nomen Cynosargis ortum esse volunt, quod aut a vocabulis κυὼν ἀργὸς aut a κυνὸς σάρκες ductum esse putant. Sed recte Goettlingius[4]) has etymologias

1) Cum Anytus illo tempore una cum Thrasybulo primas in republica ageret partes — cf. quae de eo luculente exposuit Carolus Scheibe (De oligarch. Athen. p. 106 sq.) — facile fieri potuit, ut, qua erat cupiditate prisci reipublicae generis restituendi, in civium suorum incurreret odium eaque potius de causa quam propter Socratis accusationem aliquando in exilium ire cogeretur.

2) Cf. Goettlingii commentat. in actis soc. litt. Lips. 1854. p. 14—27.

3) Cf. locos quos Menagius ad Diog. L. VI, 13 collegit.

4) l. l. p. 20.

explosisse et illud nomen ad Cerberum retulisse videtur, quem Hercules in Atticorum quidem fabulis Athenas secum eduxisse narrabatur. Ad alteram vocabuli partem explicandam vir doctissimus Homericum ἐναργής affert, ita ut Κυνόσαργες significet locum, ubi canis infernus in lucem prodierit[1]). — Praeter templum etiam gymnasium intra Cynosarges erat et ipsum Herculi dedicatum. Cum vero Hercules ipse in numero esset nothorum, et sacerdotes ejus sumebantur ex nothis, et gymnasium illud proprie eorum exercitationibus destinatum erat. In nothis autem primum ii, qui impari conjugio (id est patre vel matre non Atheniensi), tum ii, qui concubinatu orti erant, denique libertini numerabantur. Ei igitur generi hominum gymnasium Cynosargis proprie concessum erat eaque de causa semper ignominiam quandam retinebat, id quod illud proverbium „ἐς Κυνόσαργες, abi in Cynosarges[2])“ demonstrat. Neque tamen legitimi cives Cynosarges prorsus spernebant. Nam et Themistocles, qui et ipse nothus fuit, nonnullis adolescentibus nobilibus persuasisse dicitur, ut secum in illo gymnasio corpora exercerent[3]), eoque modo discrimen inter nothos et legitimos cives sustulisse, et Socrates saepe ibi versatus esse fertur[4]).

In Cynosarge igitur Antisthenes, quem nothum fuisse supra commemoravimus, scholam condidit Cynicam, quae sine dubio ab eo loco nomen traxit[5]), sicut secta Academica ab Academia,

1) Speciose quidem Goettlingius etiam vocabulum Ἁπλοκύων, quod cognomen additum erat Antistheni (D. L. VI, 13), ita interpretatur, ut Cerbero *tricipiti* opponatur Antisthenes ἁ π λ ο κ ύ ω ν, ut custos et quasi canis domesticus Cynosargis. — Stephanus Ἁπλοκ. ita explicat, ut sit „Cynicus simplici veste utens“, id quod friget. Menagius et Coraës (ad Plut. Brut. c. 34) legendum esse suspicati sunt: ἁπλῶς Κύων, ita ut discipuli Antisthenis nominati sint Κυνικοί, ipse simpliciter Κύων. Sed huic rationi ipse ille locus Plutarchi repugnat, ubi Brutus Favonium quendam compellat ἁπλόκυνα καὶ ψευδόκυνα. Quo fit, ut Goettlingii quoque interpretatio minus probabilis et eorum sententia praeferenda esse videatur, qui illud cognomen ita accipiunt, ut sit „Cynicus simplex et inurbanus.“

2) Suid. s. v. — Eudocia: εἰς Κυνόσαργες. — Schol. ad Pseudo-Plat. Axioch. 364 A.

3) Plut. Them. c. 1.

4) Pseudo-Plat. Axioch. 364 A; 372.

5) Diog. L. VI, 13 Διελέγετο δ᾽ ἐν τῷ Κυνοσάργει γυμνασίῳ μικρὸν ἄποθεν τῶν πυλῶν· ὅθεν τινὲς καὶ τὴν Κυνικὴν ἐντεῦθεν ὀνομασθῆναι. — Suid. s. v. Ἀντ. „τῆς Κυνικῆς κατήρξατο φιλοσοφίας, ἥτις οὕτως ἐκλήθη διὰ

Peripatetica ab ambulationibus (*περιπάτοις*) Lycei, Stoica a Stoa Poecile. Postea demum, cum Diogenes Sinopensis ejusque successores vita moribusque re vera canes imitarentur, Cynicorum nomen illam maculam suscepit, quae deinde insedit penitus in eo atque inveteravit. Quo pertinent interpretationes veterum similitudinem inter canum et Cynicorum vitam exponentes, quas referre longum est[1]). Immo initio illud nomen non ita pervulgatum fuisse videtur; certe Aristoteles eo non utitur, sed appellat illos Antistheneos[2]). Posteriores vero Cynici auctoritatem Antisthenis rejicientes partim Diogenem verum parentem philosophiae Cynicae esse voluerunt[3]), partim initia ejus retulerunt ad ipsum Herculem, Cynosargis gymnasii simulque sectae Cynicae patronum[4]). Neque negari potest, multa esse quibus differant inter sese Antisthenes et posteriores Cynici. Nam ut omittam literarum studia, quae ille magis quam reliqui retinuit[5]), etiam vitae ratione Antisthenes nondum sordidam illam obscoenamque speciem prae se ferebat, quam Diogenes ceterique tam studiose affectabant.

Nihilominus Antisthenes verus princeps atque auctor illius sectae existimandus est[6]). Is enim statim ab initio cum scholam

---

τὸ ἐν Κυνοσάργει τῷ γυμνασίῳ διδάξαι αὐτόν." — Hesych. Miles. p. 2 ed. Orelli. *Κυνικὴ ἐκλήθη φιλοσοφία διὰ τὸ ἐν Κυνοσάργει τῷ γυμνασίῳ κατάρξασθαι αὐτῆς τὸν Ἀντισθένην.*

1) Cf. Schol. ad Aristot. p. 23 Brandis.; Philoponum ibid. p. 35 (apud Winckelm. p. 8 sq.) et locos quos Menagius ad Diog. L. VI, 13 collegit.

2) Metaph. H. 3, 1043^{b} 23. — *ἡ ἀπορία ἣν οἱ Ἀντισθένειοι καὶ οἱ οὕτως ἀπαίδευτοι ἠπόρουν* —.

3) Epist. Pseudo-Cratet. II, p. 17; V, p. 21. 22 ed. Boisson.

4) Julian. Orat. VI, p. 187 c. Spanh.: *τοῦτο γοῦν ἔοικεν Οἰνόμαος οὐκ ἀτόπως λέγειν· ὁ Κυνισμὸς οὔτε Ἀντισθενισμός ἐστιν οὔτε Διογενισμός κ. τ. λ.* — Auson. Epigr. XXVII, ubi Antistheni tribuuntur haecce verba:

„Inventor primus Cynices ego: quae ratio istaec?
Alcides multo dicitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus;
Nunc ego sum Cynices primus et ille deus."

5) Nam et ipse permultos scripsit varii generis libros et animi cultum commendavit. (Stob. Ecl. ed. Gaisf. App. II, 13, 68.) Quae vero Diogenes Laërtius in contrariam sententiam tradit (VI, 11. 103), ea Zellerus (II, p. 207 sq.) ad justum modum revocavit.

6) Diog. L. VI, 2 .. *κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ.* Cf. VI, 15. 19; I, 19. — Cic. De Orat. III, 17 „ab Antisthene . . . Cynici primum, deinde Stoici." — Suid. s. v. Ἀντ. „*τῆς Κυνικῆς κατήρξατο φιλοσοφίας.*"

in Cynosarge inter nothos, homines fortunis plurimisque civium juribus destitutos, aperiret, quem finem philosophiae propositum esse vellet significavit. Nam cum ipse pauperrimus esset[1]) et discipulos sumeret ex pauperibus, nonne id praeter omnia ei agendum erat, ut paupertatem aequo animo tolerandam, externas res contemnendas verasque divitias in animo quaerendas esse comprobaret? Qua in re multum eum adjuvit quae tum erat populi Atheniensis conditio. Ut enim illo tempore multi divitiis abundabant luxuriaque diffluebant, ita longe maxima pars civium in paupertate vitam degebat eorumque egestas et belli Peloponnesiaci calamitatibus et imperii popularis corruptelis incredibilem in modum aucta erat[2]). Itaque jam Socrates non modo tenuissimo victu luculentum ediderat exemplum frugalitatis, sed etiam vestitu prorsus proletarii speciem praebuerat. Is enim et sine tunica (*ἀχίτων*) ac plerumque nudis pedibus incedebat et pro pallio utebatur tribonio, veste vili, qualem Spartani[3]) et plebs Atheniensis gerere solebat. In his omnibus rebus imitatus est eum Antisthenes, id tamen novans, quod tribonio utebatur duplicato[4]). Ea est illa *διπλοΐς* (*διπλοῦν εἷμα*, duplex pannus Horatii[5]), quae postea Cynicorum semper propria erat. Duplicatum autem tribonium homines docti[6]) ita arbitrati sunt, ut dextra pars pallii tota in sinistrum humerum injecta retro ad pedes caderet eoque modo totum corpus involveret. Sed ex Diog. L. VI, 6, ubi Diogenes tunicam petens ab Antisthene jussus esse narratur *πτύξαι θοιμάτιον*, apparet dupli-

---

1) Xenoph. Symp. III, 8. *Τί γὰρ σύ; εἶπεν, ἐπὶ τίνι μέγα φρονεῖς, ω Ἀντίσθενες; Ἐπὶ πλούτῳ, ἔφη. Ὁ μὲν δὴ Ἑρμογένης ἀνήρετο, εἰ πολὺ εἴη αὐτῷ ἀργύριον· ὁ δὲ ἀπώμοσε, μηδὲ ὀβολόν. Ἀλλὰ γῆν πολλήν, ἔφη, κέκτησαι; Ἴσως ἄν, ἔφη, Αὐτολύκῳ τούτῳ ἱκανὴ γένοιτο ἐγκονίσασθαι.* cf. IV, 34 sq.

2) Cf. Boeckhii oecon. polit. Ath. I, p. 163 sq.

3) Cf. Hermann. Antiq. Gr. III § 21, 14. Recte vero Zellerus (II, p. 226, 2) inde colligit, tribonium proprie non significare tritam (*ἱμάτιον τετριμμένον*), sed crassam et asperam vestem (*ἱμάτιον τρῖβον*), quae cutem perfricet.

4) Diog. L. VI, 13 *καὶ πρῶτος ἐδίπλωσε τὸν τρίβωνα καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῆτο.* Quod ibidem legitur *πρῶτον δὲ καὶ Νεάνθης φησὶν ἁπλῶσαι θοιμάτιον*, sine dubio mutandum est in *διπλῶσαι θοιμάτιον.*

5) Epist. I, 17, 25.

6) Salmas. ad Tertull. De pall. p. 396; Ferrar. de re vestiaria in Graevii thes. antiq. Rom. VI, p. 901; Walch. antiq. pallii phil. Jen. 1746; interpretes ad Hor. Ep. I, 17, 25.

cationem illam ita potius intelligendam esse, ut tribonium, priusquam injectum sit corpori, complicatum sit. Alii scriptores perhibuerunt, Diogenem primum duplicato tribonio usum esse[1]), sed haec eorum sententia fuisse videtur, qui Antisthenis auctoritatem negligentes ad Diogenem omnia referre solebant. Antistheni etiam baculum et pera tribuuntur[2]), pera quidem haud scio an injuria, cum Antisthenes nondum eam mendici speciem affectasse videatur, quam Diogenes demum ut communem Cynicorum habitum induxisse fertur[3]). Is etiam primus stipem collegit[4]), id quod Antistheni non tribuitur. Sed jam in hoc cernitur et importunitas Cynicorum quemlibet adhortationibus fatigantium[5]) et aequus ille animus, quo aliorum convicia ferre solebant[6]).

Discipulos Antisthenes habuit paucos, cujus rei causa maxime repetenda esse videtur a morositate et severitate Antisthenis in discipulos acerrime invehentis[7]). Interrogatus igitur, cur paucos haberet discipulos, „quia", inquit, „argentea virga eos proturbo"[8]), significans procul dubio baculum suum album, quod opposuit Mercurii caduceo aureo et popter colorem appellavit argenteum[9]). Cum enim

1) Diog. L. VI, 22. *τρίβωνα διπλώσας πρῶτος κατά τινας κ. τ. λ.*

2) Diog. L. VI, 13: *βάκτρον τε ἀνέλαβε καὶ πῆραν.* — cf. Lucian. Dial. Mort. 11, 3 *οὔτε ἐγώ ποτε ηὐξάμην Ἀντισθένην ἀποθανεῖν ὡς κληρονομήσαιμι τῆς βακτηρίας αὐτοῦ — εἶχε δὲ πάνυ καρτερὰν ἐκ κοτίνου ποιησάμενος — κ. τ. λ.*

3) Diog. L. VI, 22. Quod vero Sosicrates (ibid. 13) a Diodoro Aspendio illum mendicorum habitum repetit, auctore Athenaeo (IV p. 163 F) sic potius judicandum est, illum primum e Pythagoreis Cynicorum vestitum recepisse. cf. Zeller. I p. 243.

4) Diog. L. VI, 49. cf. 38. 46. 56.

5) Ibid. 10. —

6) Ibid. 3. 7. 12. — Epict. Diss. IV, 6, 20.

7) Diog. L. VI, 4 *ἐρωτηθεὶς διὰ τί πικρῶς τοῖς μαθηταῖς ἐπιπλήττει, „καὶ οἱ ἰατροί", φησί, „τοῖς κάμνουσιν."*

8) Diog. L. ibid. *ὅτι ἀργυρέᾳ αὐτοὺς ἐκβάλλω ῥάβδῳ.*

9) Plerique homines docti hanc sententiam non perspexisse videntur. Itaque Casaubonus, cui assentitur Menagius, proposuit: *ὅτι ἀργυρέᾳ αὐτοὺς οὐκ ἐκβάλλω ῥάβδῳ*, quae quomodo explicanda sint, fateor me non intelligere. Winckelmannus (Antisth. Fragm. p. 56) maluit: *ὅτι Κερκυραίᾳ αὐτοὺς ἐκβάλλω ῥάβδῳ*, commemorans flagella Corcyraeorum, quae apud veteres propter magnitudinem nota erant. Sed inter vocabula *μάστιξ* et

diu homines ad philosophiae studium frustra adhortatus esset, ad eam tandem indignationem progressus esse fertur, ut jam neminem ad se admitteret[1]). Unus verberibus ejus obstitit Diogenes Sinopensis, qui cum patria profugus Athenas profectus esset et pari modo ab eo repulsus jam baculum capiti suo impendens videret, „caede“, inquit, „non enim reperies baculum tam durum, quo me propulses“. Qua pertinacia victus Antisthenes eum in familiaritatem recepit. Quid quod mox discipulus magistrum frugalitate et severitate vitae superavit, immo reprehendit propter nimiam mollitiam? Ut enim praecepta ejus probavit iisque summam hominibus afferri posse salutem dixit, ita vitam ejus tamquam molliorem castigavit eum cum tuba comparans, quae sonitum ab ipsa redditum non audiret[2]). Quae res testimonio est, Antisthenem in vita communi semper decorem quendam servasse, quo abjecto demum Diogenes veram Cynicorum rationem instituisse sibi visus est. Eam quasi imaginem Antisthenis etiam Xenophon in Symposio depinxit, ubi ille cum Socrate aliisque amicis laetissimo animo in convivio interest, quod Callias in honorem Autolyci apparavit. Nihilo secius sermonibus, quos Xenophon Antistheni tribuit, Cynicorum principem statim agnosces. Paupertatem enim suam ut veras divitias praedicat[3]); de propria quidem loquitur domo, quam Diogenes et reliqui Cynici in publico pernoctantes non jam desiderabant, sed praeter nudos parietes nihil amplius requirit et in duro lecto jucundissimo se frui somno ait[4]); amori si quando indulgere velit, prima quaque se contentum

---

ῥάβδος aliquid interest. Verum jam vidit Lessingius ille criticorum princeps (cf. Diog. L. ed. Hübner. II p. 735), quem sequitur Goettlingius (Commentat. coll. p. 256, 1).

1) Diog. L. VI, 21. — Aelian. Var. Hist. X, 16. — Hieron. adv. Jovin. II, 206.

2) Dio. Chrysost. Orat. VIII p. 275 Reisk. *Διογένης ὁ Σινωπεὺς — τῶν μὲν ἄλλων ταχὺ κατεφρόνησεν, Ἀντισθένει δὲ ἐχρῆτο, οὐκ αὐτὸν οὕτως ἐπαινῶν ὡς τοὺς λόγους, οὓς ἔλεγεν, ἡγούμενος μόνους εἶναι ἀληθεῖς καὶ μάλιστα δυναμένους ἄνθρωπον ὠφελῆσαι· ἐπεὶ αὐτόν γε τὸν Ἀντισθένη παραβάλλων πρὸς τοὺς λόγους ἐνίοτε ἤλεγχεν ὡς πολὺ μαλακώτερον καὶ ἔφη αὐτὸν εἶναι σάλπιγγα λοιδορῶν· αὐτοῦ γὰρ οὐκ ἤκουε φθεγγομένου μέγιστον.* cf. Stob. Floril. XIII, 19. — Diog. L. VI, 19. — Eadem de causa Antistheni *ἀλαζονεία* tribui videtur (Cramer. Anecd. Graec. p. 255).

3) IV, 34 sq.

4) IV, 38.

esse dicit[1]); si quis pauca, quae habeat, sibi eripiat, nihil tam vile esse profitetur, quod non victum idoneum sibi suppeditet[2]). Sed in his rebus nihil inest, quod a moribus abhorreat ipsius Socratis, quem eandem vitae rationem secutum esse e Xenophontis Commentariis satis notum est. Quantum vero distat haec Antisthenis frugalitas a Diogenis posteriorumque Cynicorum impudentia, quorum plerique mendicorum et scurrarum modo stipem corrogare, immo canum ritu in omnium conspectu rebus Venereis frui solebant.

Quamquam igitur vita Antisthenis a Socratica temperantia non recedit, tamen ejus propriae sunt litigiosa concertandi pertinacia[3]) et morositas quaedam atque acerba dicacitas, cujus multa exempla veteres memoriae prodiderunt. Ac primum quidem maxime in rempublicam Atheniensium, qualis tum erat, infenso animo fuisse fertur. Quod cum in Socratem quoque aliosque ejus discipulos, velut Platonem et Xenophontem, cadat, tamen capitis deminutio, quae legibus notho imposita erat, Antisthenem imprimis exacerbasse videtur. Itaque notat apud Xenophontem Atheniensium ignaviam[4]); gloriantes eos, se ex ipsa terra ortos esse, derisit dicens, nihilo nobiliores eos esse cochleis et locustis[5]); civitates autem tum interire ait, cum improbos discernere non possent a probis[6]), et absurdum esse, triticum purgare lolio et bello inutiles milites rejicere, a republica improbos non removere[7]); suasit etiam Atheniensibus, ut populiscito asinos declararent equos, quoniam suffragiis homines plane imperitos crearent imperatores[8]). Quibus dictis multitudinis perstrinxit dominationem, quae bello Peloponnesiaco rempublicam Atheniensium pessumdedit. In libro autem, qui inscribebatur Poli-

1) IV, 38. *ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά μου δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ, ὥστε αἷς ἂν προσέλθω ὑπεράσπάζονταί με διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προσιέναι.* —

2) IV, 40. *πλείστου δ'ἄξιον κτῆμα ἐν τῷ ἐμῷ πλούτῳ λογίζομαι εἶναι ἐκεῖνο, ὅτι, εἴ μού τις καὶ τὰ νῦν ὄντα παρέλοιτο, οὐδὲν οὕτως ὁρῶ φαῦλον ἔργον, ὁποῖον οὐκ ἀρκοῦσαν ἂν τροφὴν ἐμοὶ παρέχοι.* —

3) Cf. Xenoph. Symp. II, 10. III, 4. 6. IV, 2 sq. 6. VI, 5.

4) Symp. II, 13.

5) Diog. L. VI, 1.

6) Ibid. 5.

7) Ibid. 6.

8) Ibid. 8. — Idem sensit Socrates. cf. Xenoph. Mem. I, 2, 9; III, 9, 10. Zeller. hist. phil. Gr. II, 112 sq.

ticus, in omnes homines populares Atheniensium invectus est[1]); ne Pericli quidem pepercit, siquidem in alio libro, qui inscribebatur Aspasia, consuetudinem, quam ille cum Aspasia habuit, derisit[2]) filiisque ejus, Xanthippo et Paralo, obtrectavit[3]). Praeter omnes autem Alcibiadem maledictis persecutus esse videtur. Nam et in altero dialogorum, qui Cyri nomen ferebant, vitam ejus dissolutam notavit[4]) et singularem librum, qui inscribebatur Alcibiades, emisit[5]), quo sine dubio acerbissime eum vellicavit[6]).

Neque solum rempublicam virosque populares infenso animo persecutus est, sed etiam non deterritus Anaxagorae, Protagorae, Socratis damnationibus communem de diis opinionem religionesque institutas acerrime impugnavit. Itaque in mysteriis Orphicis promissa, quae sacerdotes de futura apud inferos conditione faciebant, illusit[7]); Cybeles sacerdotibus mendicantibus respondit: „Non alo deorum matrem, quam dii ipsi alunt"[8]); Venerem, quippe quae multas honestas mulieres corrupisset, si deprehendisset, sagitta se confixurum et amorem re vera nihil aliud esse dixit nisi animi pravitatem, cui qui succumberent morbum appellarent deum[9]); denique in eo libro, qui inscribebatur Physicus, populares deos multos naturalem unum esse affirmans[10]) totam populi religionem funditus evertit.

Etiam cum nonnullis condiscipulis inimicitias exercuit. Ac primum quidem per se probabile est, Cynicorum principem abhorruisse ab Aristippo, voluptariae philosophiae patrono et severitatis Antistheneae irrisori[11]); idque rhetoribus posterioris aetatis mate-

1) Athen. V, p. 220 D.
2) Athen. XIII, p. 589 E.
3) Athen. V, p. 220 D.
4) Ibid. p. 220 C.
5) Diog. L. VI, 17.
6) Vide ea, quae infra de his libris exposuimus.
7) Diog. L. VI, 4. *μυούμενός ποτε τὰ Ὀρφικά, τοῦ ἱερέως εἰπόντος, ὅτι οἱ ταῦτα μυούμενοι πολλῶν ἀγαθῶν ἐν ᾅδου μετίσχουσι, „τί οὖν", ἔφη, „οὐκ ἀποθνήσκεις;"* —
8) Clem. Alex. Protrept. c. VII p. 64 Potter.
9) Clem. Alex. Strom. II, c. 20 p. 485 Potter. — Theodoret. Gr. Aff. Cur. III, p. 774.
10) Cic. De Nat. Deor. I, 13. — cf. cap. II, 21.
11) Westerm. *Βιογράφ.* VII, 16. 410. *ἐπέσκωπτε δ' Ἀντισθένην ἀεὶ διὰ τὴν στρυφνότητα.*

riam praebuit ad epistolas quasdam conscribendas, quibus alter alterum conviciis onerat. Inter Isocratem autem et Antisthenem intercessisse simultatem cum ex inscriptionibus librorum quorundam, quos Cynicus contra illum emisit[1]), tum ex locis nonnullis Laudationis Helenae apparet, ubi Isocrates manifesto hunc castigat[2]).

A Platone quoque, cujus nobilitas atque urbanitas nimis distabat ab agrestibus moribus Cynici sordido loco nati alieno animo erat identidem ei arrogantiam exprobrans[3]) et rationem ejus multis in rebus impugnans. Quid quod contra eum singularem dialogum edidit, quem parum urbane nomine ludens inscripserat *Σάθων*?[4]) Plato vero ea omnia non patienter tulit, sed multis locis librorum suorum cum irrisione quadam Antisthenem tecte significavit[5]). — Quae ratio ei intercesserit cum reliquis Socraticis nescimus; Xenophontem vero imaginem ejus expressisse haud indignam supra exposuimus. — Denique Euripidem ita perstrinxisse narratur, ut versiculum ejus huncce:

τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

---

1) Diog. L. VI, 15. *περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης· πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Ἀμάρτυρον.* — cf. cap. II, 5. 6.

2) Cf. § 1. *Εἰσί τινες οἳ μέγα φρονοῦσιν, ἢν ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησάμενοι περὶ ταύτης ἀνέκτως εἰπεῖν δυνηθῶσι· καὶ καταγεγηράκασιν οἱ μὲν οὐ φάσκοντες οἷόν τ' εἶναι ψευδῆ λέγειν οὐδ' ἀντιλέγειν οὐδὲ δύο λόγω περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἀντειπεῖν κ. τ. λ.*

§ 8. .. *ἤδη τινές — τολμῶσι γράφειν ὡς ἔστιν ὁ τῶν πτωχευόντων καὶ φευγόντων βίος ζηλωτότερος ἢ ὁ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων.* —

§ 12. — *τῶν μὲν γὰρ τοὺς βομβυλιοὺς . . . βουληθέντων ἐπαινεῖν οὐδεὶς πώποτε λόγων ἠπόρησε.* Haec Antisthenis Protrepticum perstringunt. cf. Poll. Onomast. VI, 16, 98. *βομβυλιὸς δὲ τὸ στενὸν ἔκπωμα καὶ βομβοῦν ἐν τῇ πόσει, ὡς Ἀντισθένης ἐν Προτρεπτικῷ.* ibid. X, 19, 68.

3) Diog. L. VI, 7. *ἔσκωπτε Πλάτωνα ὡς τετυφωμένον κ. τ. λ.*

4) Athen. V, p. 220 D.; XI, p. 507 A. — Diog. L. III, 35; VI, 16.

5) Jam pridem multi viri docti recte suspicati sunt, non solum Euthydemum et Cratylum illis dialogis, qui ab iis nomen ceperunt, sed multis in rebus etiam Antisthenem carpi. Ad eundem pertinere arbitror Theaet. 156 A, 174 A. sq., 201 D. usque ad 210 B. — Soph. 251 B. sq.; 258 E. usque ad 259 E. — Polit. 286 E. sq. — Parmen. 133 B.; 135 A. — Phaed. 90 C.; 101 E. — Phileb. 14 C. sq.; 17 A. — De Republ. 505 B. C. — Sed illi duo loci, qui vulgo ad Antisthenem referuntur, Phileb. 43 D. sq. et De Republ. 583 B. sq., ab eo prorsus abhorrere et ad Euclidem potius spectare videntur. cf. Chappuis. Antisthène (Paris. 1854) p. 178 sq.

statim immutaret ita:

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ[1]).

Apparet ex his dicacitatis Antistheneae exemplis, quam graviter in omnia, quae ab ipsius ingenio moribusque abhorrerent, invectus sit Cynicus, dissimilis ea quidem in re Socratis, quem lepore potius ac perpetua quadam festivitate quam acerba cavillatione vitia hominum exagitasse nemo est qui nesciat. Diogenes vero et reliqui Cynici exemplum magistri studiosissime imitati sunt, immo longe eum cavillandi acerbitate superarunt. Neque tamen semper hac illum fuisse morositate, et Xenophontis Symposium, ubi summa cum hilaritate inter amicos versatur ac Socrates ei praeter omnes tribuit artem hominum inter sese conciliandorum[2]), et alii veterum scriptorum loci testimonio sunt, quibus eximia praedicatur sermonum ejus suavitas[3]).

Antisthenes neque unquam uxorem duxisse[4]) et Socratis exemplum secutus semper Athenis mansisse videtur; certe errat Theo Alexandrinus[5]), qui eum Spartam profectum esse narrat ibique loquentem facit quae alias tribuuntur Diogeni Sinopensi[6]).

Tabe tandem consumptus summa senectute c. Ol. 103, 4 (365) diem supremum obiit[7]). Mortem sibi ipse consciscere noluerat gladiumque rejecerat, quem ei Diogenes, ut doloribus se liberaret, porrexerat. Qua in re praecepto Socratis obtemperavit, quem

1) Plut. Quomodo adolescens etc. p. 33 C. Versum illum Euripidis esse, demonstrat Schol. ad Aristoph. Ran. 1523. — Ceterum idem dictum ab aliis Platoni, ab aliis Diogeni tribuitur.

2) IV, 36.

3) Diog. L. VI, 14. τοῦτον μόνον ἐκ πάντων Σωκρατικῶν Θεόπομπος ἐπαινεῖ καί φησι δεινόν τε εἶναι καὶ δι' ὁμιλίας ἐμμελοῦς ὑπαγαγέσθαι πανθ' ὁντινοῦν. — 15. ὁ δὲ Ξενοφῶν ἥδιστον μὲν εἶναι περὶ τὰς ὁμιλίας φησὶν αὐτόν.

4) Cf. Xenoph. Symp. IV, 38.

5) Progymn. c. 5. (Rhetor. Graec. ed. Walz. I. p. 215) — Ἀντισθένην Ἀττικόν γε ὄντα παραγενόμενον Ἀθήνηθεν εἰς Λακεδαίμονα ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος λέγειν εἰς τὴν ἀνδρωνῖτιν ἐπιέναι.

6) Diog. L. VI, 59.

7) Diog. L. VI, 18. ἐτελεύτησε δὲ ἀῤῥωστίᾳ κ. τ. λ. — Julian. Orat. VI, p. 181 A, quem transscripsit Suidas s. v. Ἀντ. „ἀῤῥωστοῦντι Ἀντισθένει μακρὰν καὶ δυςανάκλητον ἀῤῥωστίαν ὁ Διογένης ξιφίδιον ἐπέδωκεν κ. τ. λ. — Schol. ad Lucian. Parasit. § 57. τοὺς δὲ ἀπὸ δυςουρίας φθινήσαντας — ὡς Ἀντισθένης. — Eudocia in Anecd. Graec. Villois. p. 56.

Plato in Phaedone[1]) egregie contra voluntariam mortem disserentem facit[2]).

His peractis de temporum ordine, qui in vita Antisthenis statuendus esse videtur, accuratius mihi exponendum est. Quam quaestionem, cum de omnibus fere rebus, quarum tempus constituere velis, certa veterum scriptorum testimonia desint, haud facile absolvas. Itaque id nobis agendum est, ut probabili ratione ex iis, quae de Antisthene memoriae prodita sunt, quasi terminos quosdam eruere studeamus, quibus vitam ejus circumscribamus.

Iam supra commemoravi Antisthenem proelio interfuisse Tanagrensi, quod Thucydide auctore[3]) incidit in aestatem anni 426 a. Chr. n. (Ol. 88, 3). Cum vero adolescentes Athenienses anno aetatis duodevicesimo militiam capesserent, necesse est annum natalem Antisthenis non post Ol. 84, 1 (444) referamus. Accedit Dionysii Halicarnassei locus[4]), ubi de genere dicendi Thucydidis loquitur: *πολλῶν γενομένων Ἀθήνῃσι κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον ῥητόρων τε καὶ φιλοσόφων οὐδεὶς αὐτῶν κέχρηται ταύτῃ τῇ διαλέκτῳ, οὔθ' οἱ περὶ Ἀνδοκίδην καὶ Ἀντιφῶντα καὶ Λυσίαν ῥήτορες, οὔθ' οἱ περὶ Κριτίαν καὶ Ἀντισθένη καὶ Ξενοφῶντα Σωκρατικοί.* — Manifestum est Dionysium h. l. tantummodo aequales cum Thucydide comparare, cum posteriorum scriptorum, velut Isocratis et Platonis, mentionem non faciat. Itaque a vero non aberrare nobis videmur cum Chappuisio[5]) statuentes, Antisthenem eodem fere tempore cum Xenophonte, id est c. Ol. 84, 1 (444), natum esse.

Deinde quaeritur, Antisthenes et quo tempore factus sit et quam diu fuerit discipulus Gorgiae sophistae. Quem quidem, Leontinorum legatum, Ol. 88, 2 (427) Athenas venisse et cum nuntium in patriam retulisset, eo redisse satis constat[6]). Antisthenem

1) 61 C. sq.

2) Imagines Antisthenis marmoreae complures adhuc extant. Cf. Visconti Mus. Pio-Clement. tom. VI. fol. XXXV, Iconogr. Graec. fol. XXII; et quem Winckelmannus laudat Gurlitt. script. archaeol. p. 251 sq.

3) III, 91. — Nam de eo proelio agi, non de priore illo Ol. 80, 4 (457) ad Tanagram commisso, facile patebit, cum reliqua, quae ad quaestionem nostram pertinent, in medium protulerimus.

4) Iud. de Thuc. c. 31. p. 941.

5) l. l. p. 172.

6) Cf. Foss. De Gorgia Leont. p. 23.

autem statim initio in consuetudinem rhetoris Leontini venisse eaque per satis longum temporis spatium usum esse opinor. Accuratius tempus, quod in disciplina Gorgiae consumpsit, circumscribere non possumus; id tamen jure affirmare nobis videmur, eum certe Ol. 91, 3 (414) in numero fuisse familiarium Socratis. Maximo est enim argumento Xenophontis Symposium, ubi Antisthenes inducitur inter Socratis discipulos. Quaeritur igitur, quo tempore fuerit illud convivium, quod Xenophon descripsit. Ne quis vero dicat, Xenophontem fortasse non habuisse temporis rationem, sed Platonis more quasi scenam quandam illius convivii finxisse, reputet secum, quanta sit ejus in omnibus rebus fides ac diligentia. „Ἀλλ' ἐμοί γε δοκεῖ", inquit in prooemio Symposii, „τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀξιομνημόνευτα εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδιαῖς· οἷς δὲ παραγενόμενος ταῦτα γιγνώσκω δηλῶσαι βούλομαι. κ. τ. λ, Quae verba satis probare videntur, eum ab hominum rerumque veritate non recessisse. Narrat autem[1]), magnis Panathenaeis Calliam, ut honoraret victoriam, quam Autolycus pancratio reportaverat, domi suae convivium lautissimum apparasse. De qua re apud Athenaeum[2]) leguntur haecce: Ἔστι δ' οὗτος ὁ καιρός, καθ' ὃν Ἀριστίων ἄρχων ἦν· ἐπὶ τούτου γὰρ Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου. Quibus verbis si fides habenda esset, Eupolidis comoedia, quae eandem illam Autolyci victoriam irrisit, docta esset Ol. 89, 4 (421), quo anno Aristion archon fuit. Sed Athenaeus hoc loco compluribus in rebus erroris arguendus est. Ac primum quidem peccat, quod eodem illo anno magna Panathenaea celebrata esse vult. Panathenaea enim majora semper tertio quoque Olympiadis anno agebantur[3]); quocirca etiam illa, quibus Autolycus victoriam adeptus erat, cum iisque Calliae convivium non in Ol. 89, 4, sed in proximum annum, Ol. 89, 3, quo Alcaeus archon fuit, incidere necesse esset. Deinde frustra nititur, ut comoediae Eupolideae auctoritate Xenophontem mendacii convincat, quod ille in eo se convivio interfuisse dixerit, qui illo tempore ne natus quidem, certe puerili demum aetate fuerit. Quod falsum esse patet, cum annum natalem Xenophontis

1) I, 2.

2) V, p. 216 C.

3) Cf. Boeckhii oecon. polit. Ath. II, p. 6 sq.

certe ad Ol. 84, 1 (444) referendum esse hodie satis constet[1]). Sed haec quasi praetereuntes tangimus; accedit denique gravissima dubitatio. Sunt enim multa, quae indicare videantur, Antisthenem jam aetate progressum fuisse, quo tempore factus est Socratis familiaris. Nam et scholam rhetoricam habuisse fertur, antequam in Socratis consuetudinem se dedit, et id quod majus est, vix intelligas, cur tot tantisque in rebus a Socratis sententia dissenserit atque cavillationes retinuerit sophistarum, nisi eum aetate moribusque jam firmatum ad Socratem se applicasse statuas. Adde Platonis locum[2]), ex quo jam pridem homines docti ejus rei argumentum duxerunt. Traducit ibi Plato senes quosdam sero philosophiae studiis imbutos, qui omnem notionum inter sese conjunctionem tollebant. Quibus verbis Antisthenem significari, Schleiermacherus[3]), Ritterus, Brandisius, Zellerus[4]) uno ore affirmant; et epitheton illud ita explicandum esse videtur, ut illum sero demum Socratis disciplinae se dedidisse indicetur. Qui fieri igitur poterat, ut Xenophon in Symposio Antisthenem in numero Socraticorum referret, si illud convivium — id quod Athenaeus vult — in Ol. 89, 4 (421) incidit, quo tempore Antisthenes natus fuit tres fere et viginti annos? Profecto non dubitabis, utrius auctoritatem pluris facias, Xenophontis an Athenaei, praesertim cum grammatici error magna probabilitate explicari possit. Ignoravit enim vel oblitus est, duas fuisse Autolyci Eupolidei editiones[5]), quae multum inter se

---

1) Cf. Corsini fast. Att., Clinton. fast. Hell. ad a. 444; Letronn. Biogr. univ. vol. 51. p. 371.

2) Sophist. 251 B. *Ὅθεν γε, οἶμαι, τοῖς τε νεοῖς καὶ τῶν γερόντων τοῖς ὀψιμαθέσι θοίνην παρεσκευάκαμεν· εὐθὺς γὰρ ἀντιλαβέσθαι παντὶ πρόχειρον ὡς ἀδύνατον τά τε πολλὰ ἓν καὶ τὸ ἓν πολλὰ εἶναι, καὶ δήπου χαίρουσιν οὐκ ἐῶντες ἀγαθὸν λέγειν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀγαθὸν ἀγαθόν, τὸν δὲ ἄνθρωπον ἄνθρωπον· ἐντυγχάνεις γάρ, ὦ Θεαίτητε, ὡς ἐγῷμαι, πολλάκις τὰ τοιαῦτα ἐσπουδακόσιν, ἐνίοτε πρεσβυτέροις ἀνθρώποις καὶ ὑπὸ πενίας τῆς περὶ φρόνησιν κτήσεως τὰ τοιαῦτα τεθαυμακόσι καὶ δή τι καὶ πάσσοφον οἰομένοις τοῦτ' αὐτὸ ἀνευρηκέναι.*

3) Cf. Interpretat. Plat. II, 2. p. 136.

4) Cf. Hist. phil. Gr. Ritteri II, p. 116. 130, Brandis. II, 1. p. 74, Zelleri II, p. 201, 3 et 210, 3 (ed. II.), et ea quae nos infra de scriptis Antisthenis dialecticis exposuimus.

5) Schol. ad Aristoph. Nub. v. 110. — Poll. VII, 202. Cf. Meinekii quaest. scenic. I. p. 42 et Bergkii commentat. de reliq. com. Att. p. 342. sq.

differebant. Et priorem quidem comoediam concedimus Athenaeo in Aristonis annum (Ol. 89, 4) incidisse, neque tamen in ea Autolyci victoriam irrisam fuisse arbitramur. Id altera demum fabulae recensione factum esse videtur, quae quo tempore in scenam prodierit Meinekius sagacissime investigavit. Versum enim illum Autolyci Eupolidei, qui exstat in Schol. Victor. ad Iliad. apud Heynium t. VI. p. 646:

Ἤδη γὰρ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντ' ἄχθομαι,

optime vir doctissimus alteri Autolyco adscripsit indeque recte collegit, eodem eum anno doctum esse, quo Aristarchus, unus e quadringentis, qui tum Atheniensium rempublicam tenebant, imperatoris munere fungebatur, i. e. Ol. 92, 1. 2. (411)[1]. Unde efficitur, ut victoriam Autolyci, quam Eupolis in altera comoediae suae recensione irrisit, simulque convivium illud, quod Xenophon describit, ad proxima Panathenaea, i. e. ad Ol. 91, 3 (414), referamus. Eo igitur tempore Antisthenes — quo natus erat triginta fere annos — in familiaritatem Socratis receptus erat, in quam eum non ita multo ante venisse admodum veri simile est, ita ut sophistas per tredecim fere annos magistros habuisse, Socratis disciplina quindecim fere annos usque ad mortem ejus (Ol. 95, 1; 399) usus esse videatur.

Quo autem anno Antisthenes ipse mortuus sit, non magis id quidem exploratum habemus, attamen ex locis nonnullis veterum scriptorum conjecturam facere licet satis probabilem. Pugnae Leuctricae tempore (Ol. 102, 2; 371) eum in vita fuisse, Plutarchus auctor est[2], qui Antisthenem, cum Thebanos victoria Leuctrica inflatos vidisset, dixisse narrat, illos nihil differre a puerulis superbientibus, quod paedagogum verberassent. Accedit Diodori Siculi locus[3], ubi inter homines memoria dignos, qui Ol. 103, 3 (366) Cephisodoro archonte vixerint, commemoratur etiam Antisthenes. Denique Eu-

---

1) Thucyd. VIII, 90. 92. 98.

2) Vit. Lycurg. c. 30. *Ἀντισθένης δὲ ὁ Σωκρατικὸς ἀπὸ τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ὁρῶν τοὺς Θηβαίους μέγα φρονοῦντας οὐδὲν αὐτοὺς ἔφη διαφέρειν παιδαρίων ἐπὶ τῷ συγκόψαι τὸν παιδαγωγὸν γαυριώντων.* —

3) XV, 76. *ὑπῆρξαν κατὰ τούτους τοὺς χρόνους* (i. e. Cephisodoro archonte) *ἄνδρες ἄξιοι μνήμης Ἰσοκράτης τε ὁ ῥήτωρ — καὶ Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος — Ἀρίστιππός τε καὶ Ἀντισθένης.* — cf. Clinton. fast. Hell. II, 129.

docia Macrembolitissa[1]), quae in ceteris Diogenem Laërtium transscripsit, addit haecce: ἐτελεύτησε δὲ Ἀθήνῃσι ἑβδομηκοντοέτης γενόμενος. Quibus verbis aut fides deneganda est, aut — id quod vereor ut per usum loquendi liceat — ut annum natalem a nobis constitutum (444) cum Plutarchi et Diodori testimoniis conciliemus, vocabulo ἑβδομηκοντούτης ampliorem vim tribuere cogimur, ita ut significet eum, qui aetatem inter septuagesimum et octogesimum annum agat. Nam si ipso segtuagesimo anno Antisthenem mortuum esse statueremus, aut ab anno natali (444) proficiscentibus nobis mors ejus ad Ol. 101, 3 (374) referenda esset, id quod non convenit cum Plutarchi et Diodori locis, aut ab anno, quem hic significat (366), retro computantibus annus natalis in Ol. 86, 1 (436) collocandus esset, id quod cum iis, quae supra de anno natali Antisthenis exposuimus, conjungi nequit. —

Omnibus igitur inter se comparatis a vero non multum abesse nobis videmur cum Chappuisio[1]) statuentes, Antisthenem circiter ab Ol. 84, 1 (444) usque ad Ol. 103, 4 (365) vixisse, ita ut tantum non ad octogesimum aetatis annum perveniret.

---

1) Ἰωνιά in Anecd. Graec. ed. Villoison. tom. I. p. 56.
2) l. l. p. 178.

Caput II.

De Antisthenis scriptis.

Antisthenem in principibus Socraticorum numeratum esse inter omnes constat[1]); quam gloriam magna ex parte scriptorum suorum copia ac praestantia adeptus esse videtur. Etenim non solum ethicam, cui ceteri Socratici praeter omnia operam dederunt, sed etiam rhetoricam, dialecticam, grammaticam, physicam multis libris nunc quidem perditis tractavit. Cui rei cum alii veterum scriptorum loci[2]), tum index librorum a Diogene Laërtio servatus testimonio sunt. Neque id mirum in Antisthene, qui, antequam in Socratis familiaritatem se dedit, longum per tempus disciplina usus erat sophistarum ab iisque illam studiorum varietatem asciverat. Multos quidem eorum librorum, qui maxime sophistarum artes redolebant, ante illud tempus scripsisse putandus est, quo discipulus factus est Socratis, sed eum postea quoque pristinae institutionis haud oblitum esse, demonstrant libri contra Platonem scripti (*περὶ τοῦ ἀντιλέγειν*), quibus illud Protagoreum, nulli sententiae contradici posse, defendit. Dicendi vero genere Antisthenes professus est praecipue Gorgiae disciplinam, quem novam quandam dicendi artem induxisse nemo ignorat.

---

1) Diog. L. II, 47. *τῶν δὲ διαδεξαμένων αὐτὸν* (Socratem) *τῶν λεγομένων Σωκρατικῶν οἱ κορυφαιότατοι μὲν Πλάτων, Ξενοφῶν, Ἀντισθένης.* cf. Gell. XIV, 1 — „ut exsistant per hujuscemodi stellarum concursiones et similitudines Socratae simul et Antisthenae et Platones“ —.

2) Hieronym. contra Jovin. II, 14 — „innumerabiles ejus libri, quorum alios philosophico, alios rhetorico genere conscripsit.“ — Timon autem Sillographus eum propter multitudinem librorum *παντοφυῆ φλεδόνα* appellavit (Diog. L. VI, 18).

Cum enim orationem quam maxime i lustrare atque exornare studeret Gorgias, poëticam vel potius dithyrambicam licentiam eo intulit, quod tropis, ut metaphora et hyperbola, novis verbis vel compositis vel peregrinis, cumulatis denique epithetis immoderate utebatur. Huc accedebant orationis figurae: contrariis relata contraria (*ἀντιθέσεις*), paria paribus adjuncta (*παρισώσεις*), similiter terminata (*ὁμοιοτέλευτα*), agnominatio (*παρονομασία*), dissolutio (*ἀσύνδετον*). Denique orationem non longioribus verborum comprehensionibus circumscribere, sed brevioribus aequalibusque particulis incidere et earum concinnitate numerum quendam oratorium efficere solebat[1]). — De quo genere dicendi ideo paucis exposui, quod infra de duabus judicandum erit declamationibus, quae Antisthenis esse feruntur; qua in re id maxime quaeritur, num illis Gorgiae exemplum expressum sit. Antisthenem enim in dialogis, imprimis in „Veritate" et „Protrepticis", rhetorico dicendi genere usum esse, Diogenes Laërtius auctor est (VI, 1); de qua re nos quidem judicium facere non possumus, cum ex dispersis librorum Antistheneorum fragmentis vix certi quidquam colligere liceat[2]). — Neque tamen solum ad Gorgiae exemplum se finxisse, sed etiam fructus quosdam percepisse existimandus est ex consuetudine Prodici, quem imprimis in distinguendis diligenterque examinandis vocabulorum notionibus elaborasse et in oratione elegantiam quidem rectamque verborum collocationem consectatum esse, luxuriem tamen Gorgianam repudiasse scimus. Nonne vero etiam Socratis

---

1) Cf. Schoenborn. De authentia declamat., quae Gorg. Leont. nomine exstant p. 14 sq.; Foss. De Gorg. p. 50 sq.; Spengel. *Συναγωγὴ τεχνῶν* p. 63 sq.

2) Forsitan vestigium quoddam Gorgianae artis in agnominationis vel paronomasiae exemplis reperias, quae in dictis Antisthenis hic illic inveniuntur, velut apud Diog. L. VI, 3. 4 verbis *καινοῦ* et *καὶ νοῦ*, *κοινὴν* et *ποινήν*, *κόρακας* et *κόλακας* luditur: *πρός τε τὸ Ποντικὸν μειράκιον μέλλον φοιτᾶν αὐτῷ καὶ πυθόμενον τίνων αὐτῷ δεῖ φησι· „βιβλιαρίου καινοῦ καὶ γραφείου καινοῦ καὶ πινακιδίου καινοῦ"*. (Quod dictum Isocrati tribuitur a Theone Alexandrino. Rhetor. Gr. ed. Walz I. p. 209). — *πρὸς δὲ τὸν ἐρόμενον ποδαπὴν γήμῃ ἔφη· „ἂν μὲν καλήν, ἕξεις κοινήν, ἂν δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν."* (Idem dictum ad Bionem Borystheniten refertur a Diog. L. IV, 48). — *κρεῖττον ἔλεγε — εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν· οἱ μὲν γὰρ νεκρούς, οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσιν.* — Ejusdem generis est dictum, quod Diog. L. (VI, 24) Diogeni Sinopensi, Plutarchus (de Stoic. repugn. XIV, 7) similibus verbis attribuit Antistheni: *εἰς τὸν βίον παρεσκευάσθαι δεῖν λόγον ἢ βρόχον.* —

simplicitas atque inaffectata jucunditas et sua ipsius severitas gravitasque Antisthenem adducere debuit, ut Gorgiana illa licentia rejecta ad temperatum dicendi genus se accommodaret? Documento sunt multi veterum loci, qui eum inter scriptores Atticos haud infimum locum obtinuisse, immo in numero exemplorum purae orationis Atticae habitum esse satis probant. Quae testimonia in medium proferre jam nostrum erit.

Aristoteles in libris rhetoricis metaphorae exemplum ab Antisthene mutuatur[1]); alio loco ubi exponit, in civitate, quae optimatium arbitrio regatur, nullis eos legibus coërceri, fabulam ejus laudat politicam[2]). — Dionysius Halicarnasseus enumerans scriptores, qui tempore belli Peloponnesiaci una cum Thucydide Athenis floruerunt, praeter Andocidem, Antiphontem, Lysiam, Critiam, Xenophontem commemorat etiam Antisthenem[3]). — Demetrius[4]), ubi praecipit, ut gravissimum verbum in fine sententiae collocetur, exempli causa Antisthenis dictum quoddam affert. — Epictetus[5]) Antisthenis genus dicendi cum Xenophontis et Platonis confert: „θαυμαστῶς, ἄνθρωπε, γράφεις, καὶ σὺ μεγάλως εἰς τὸν Ξενοφῶντος χαρακτῆρα, σὺ εἰς τὸν Πλάτωνος, σὺ εἰς τὸν Ἀντισθένους." Pari modo Fronto[6]): „Diodori tu et Alexini verba verbis Platonis et Xenophontis et Antisthenis anteponis?" et Longinus[7]), qui Aeschinem adjungit: „τῷ μὲν γὰρ Πλάτωνι καὶ τῷ Ξενοφῶντι, Αἰσχίνῃ τε καὶ Ἀντισθένει περιττῶς διαπεπόνηται καὶ ἱκανῶς ἠκρίβωται." Similiter Julianus[8]), ubi de fabulis ad quaestiones ethicas adhibendis disserit,

1) Rhetor. III, 4 p. 1407a, 9. καὶ ὡς Ἀντισθένης Κηφισόδοτον τὸν λεπτὸν λιβανωτῷ εἴκασεν, ὅτι ἀπολλύμενος εὐφραίνει.

2) Polit. III, 13 p. 1284a, 15. καὶ γὰρ γελοῖος ἂν εἴη νομοθετεῖν τις πειρώμενος κατ' αὐτῶν· λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως ἅπερ Ἀντισθένης ἔφη τοὺς λέοντας, δημογορούντων τῶν δασυπόδων καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων.

3) Iud. de Thuc. c. 31 p. 941. cf. p. 20.

4) De Elocut. c. 249 (Rhet. Gr. ed. Walz. IX p. 105). ποιητικὸν δὲ δεινότητός ἐστιν καὶ τὸ τέλει τιθέναι τὸ δεινότατον· παραλαμβανόμενον γὰρ ἐν μέσῳ ἀμβλύνεται, καθάπερ τὸ Ἀντισθένους·„σχεδὸν γὰρ ὀδυνήσει ἄνθρωπος ἐκ φρυγάνων ἀναστάς." Εἰ γὰρ μετασυνθείη οὕτως τις αὐτό· σχεδὸν γὰρ ἐκ φρυγάνων ἀναστὰς ἄνθρωπος, οὐ ταὐτὸν ἔτι νομισθήσεται λέγειν.

5) Dissert. II, 17, 35.

6) Ad M. Caesarem de eloq. ed. Niebuhr. p. 86.

7) Περὶ εὑρέσεως in Rhetor. Gr. ed. Walz. IX. p. 559.

8) Orat. VII, p. 215 C; cf. p. 209 A et 217 A.

exempli causa praeter Xenophontem et Platonem affert Antisthenem: *„οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ξενοφῶν φαίνεται καὶ Ἀντισθένης καὶ Πλάτων προςχρησάμενοι πολλαχοῦ τοῖς μύθοις.“* — Phrynichus [1]) autem grammaticus in exemplis purae Atticaeque orationis praeter Platonem, Demosthenem cum reliquis novem oratoribus, Thucydidem, Xenophontem, Aeschinem Socraticum, Critiam numerat etiam Antisthenis duo libros de Cyro et de Odyssea: *„εἰλικρινοῦς δὲ καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνας καὶ στάθμας καὶ παράδειγμά φησιν ἄριστον Πλάτωνά τε καὶ Δημοσθένην — καὶ Ἀντισθένην μετὰ τῶν γνησίων αὐτοῦ δύο λόγων, τοῦ περὶ Κύρου καὶ τοῦ περὶ Ὀδυσσείας“*. [2]) — Etiam singula vocabula ab Antisthene usurpata grammatici et lexicographi diligenter observarunt; [3]) id quod indicio est, quantam auctoritatem veteres Antisthenis generi dicendi tribuerint.

Neque solum propter orationis elegantiam tantam Antisthenes consecutus est laudem, ut in optimos Graecorum scriptores referretur, sed magis etiam propter rerum, quas libris suis tractaverat, gravitatem ac dignitatem. Itaque Zeno Stoicus eum contra obtrectatorem defendit neque quae minus recte, sed quae bene dixerit respici vult[4]). Theopompus autem Chius eum solum ex omnibus Socraticis laudibus extulit praedicans ejus conditam suavitate gravitatem, qua quemlibet in sententiam suam perduceret, hasque virtutes etiam e scriptis ejus elucere ait Diogenes Laërtius (VI, 14): *„τοῦτον μόνον ἐκ πάντων Σωκρατικῶν Θεόπομπος ἐπαινεῖ καί φησι δεινόν τε εἶναι καὶ δι' ὁμιλίας ἐμμελοῦς ὑπαγαγέσθαι πάνθ' ὁντινοῦν. δῆλον δ' ἐκ τῶν συγγραμάτων κἀκ τοῦ Ξενοφῶντος Συμποσίου.“* Quid quod Theopompus tantum progressus est studio, ut Platonem in nonnullis dialogis Antisthenis scripta compilasse contenderet? [5]) Quod quamvis multum absit ut Theopompo

1) Photii Biblioth. ed. Becker. p. 101 b, 4 sq.

2) Quae verba cave ita interpreteris, ut Phrynichum illos tantummodo duo libros germanos, reliquos omnes ab Antisthene alienos judicasse existimes. Nam nihil aliud ex iis colligendum esse videtur, nisi grammaticum *alios quosdam* habuisse subditos.

3) V. quae Winckelm. (Antisth. fragm. p. 20. 21) laudat: Pollucis Onom. VI, 16, 98; X, 19, 68; Schol. ad Apoll. Rhod. II v. 571; Erotian. p. 104 ed. Franz. de voce *βομβυλιός*. — Athen. XIV, p. 656 F de voce *δελφάκιον*. — Phot. Bibl. p. 361, 21 de voce *οὔρειος βίκος*.

4) Diog. L. VII, 19.

5) Athen. XI, p. 508 C. *καὶ γὰρ Θεόπομπος ὁ Χῖος ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς τοὺς πολλούς, φησί, τῶν διαλόγων αὐτοῦ ἀχρείους*

credamus, tamen auctoritatem, qua fuit Antisthenes illo tempore, declarare videtur. Idem judicandum est de Diogeneis Laërtii loco[1]), ubi Aeschines Socraticus Antisthenis libros quosdam in rem suam convertisse narratur. — Cicero[2]) Antisthenis libros lectitavit, etsi acumen magis in eo laudat quam eruditionem: „Κῦρος δ' ε' mihi sic placuit ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis quam eruditi.“ — Lucianus[3]) scripta ejus confert cum Platonis: „τὰ τοιαῦτα βιβλία ἔχων τί μάλιστα ἀναγιγνώσκεις; τὰ Πλάτωνος; τὰ Ἀντισθένους;“ — Denique Panaetius[4]) inter omnes Socraticorum dialogos germanos esse censuit eos modo, qui essent Platonis, Xenophontis, Antisthenis, Aeschinis; id quod probat Antisthenem in principes sectae Socraticae scriptores relatum esse. — His veterum locis satis docuisse nobis videmur, quanta fuerit librorum Antistheneorum auctoritas.

Probabile est autem Antisthenem in plurimis eorum more reliquorum Socraticorum dialogi genere usum esse et primas plerumque disputationis partes dedisse Socrati. Testimonio sunt Diog. Laert. II, 64, quem locum modo laudavi; III, 35: ἔγραψε διάλογον κατὰ Πλάτωνος[5]). VI, 1: ὅθεν τὸ ῥητορικὸν εἶδος ἐν τοῖς διαλόγοις ἐπιφέρει. Etiamnunc nonnulla fragmenta ex dialogis sumpta esse apparet[6]).

καὶ ψευδεῖς ἄν τις εὕροι, ἀλλοτρίους δὲ τοὺς πολλοὺς ὄντας ἐκ τῶν Ἀριστίππου διατριβῶν, ἐνίους δὲ κὰκ τῶν Ἀντισθένους κ. τ. λ.

1) II, 61. ἀλλὰ καὶ τῶν Ἀντισθένους τόν τε μικρὸν Κῦρον καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐλάσσω καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ τοὺς τῶν ἄλλων δὲ ἐσκευώρηται — Haec enim de Aeschine dicta esse censeo, non de Pasiphonte Eretriensi, quem Persaeus plurimos inter septem Aeschinis dialogos supposuisse affirmaverat (Diog. L. ibid.). Chappuisius (p. 27 sq.) autem ea ad Pasiphontem refert itaque explicat, ut eum inter Antisthenis quoque libros Cyrum parvum, Herculem minorem, Alcibiadem subdidisse velit. Cui sententiae cum alia, tum vocabuli σκευωρεῖσθαι significatio obstat, quod magis est in rem suam convertere vel compilare quam supponere.

2) Epist. ad Att. XII, 38.

3) Adv. indoct. c. 27.

4) Diog. L. II, 64. πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου· διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου. — Ceterum erravit Diog. L. aut h. l. aut II, 85, ubi Aristippi quoque libros Panaetii auctoritate firmat.

5) Cf. Athen. XI, p. 507 A. — V, p. 220 D. ὁ δὲ πολιτικὸς αὐτοῦ διάλογος κτλ.

6) Epictet. Dissert. IV, 5, 20. τί οὖν λέγει Ἀντισθένης, οὐδέ ποτ' ἤκουσας; „βασιλικόν, ὦ Κῦρε, πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν.“ —

De his omnibus rebus ipsi certum judicium facere non possumus, sed licet nobis tantummodo ad veterum scriptorum testimonia provocare nostrasque proponere conjecturas, cum libri Antisthenis paene prorsus perierint. Exiguae tantum supersunt reliquiae huc illuc disjectae, quas summa diligentia undique collegit atque disposuit Winckelmannus[1]). — At, inquiet aliquis, quid de duabus declamationibus adhuc integris, quae Antisthenis nomen prae se ferunt? Inveniuntur enim inter alia sophistarum opuscula etiam Antisthenis declamationes duae[2]), quarum altera inscribitur *Αἴας*, altera *Ὀδυσσεύς*, quibus Ajax et Ulixes apud judices de armis Achillis litigantes inducuntur. Fortasse nemini in mentem venisset eas Socratico nostro attribuere, nisi et Antisthenem sophistarum institutione usum esse artique rhetoricae operam dedisse constaret et accederet Diogenis Laërtii testimonium, qui in indice librorum ejus commemorat etiam *Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος* et *Ὀδυσσεὺς ἢ περὶ Ὀδυσσέως*. Itaque Deycksius[3]) „propensior est ad agnoscendum in iis stilum manumque Antisthenis“. Reperit enim in utraque declamatione non solum Gorgianae eloquentiae imitationem, sed doctrinae etiam Antistheneae vestigia. Cujusmodi esse censet quod dicit Ajax[4]): *ἐγὼ μὲν οὖν ὑμῖν λέγω τοῖς οὐδὲν εἰδόσι κριταῖς καὶ δικασταῖς, μὴ εἰς τοὺς λόγους σκοπεῖν περὶ ἀρετῆς κρίνοντας, ἀλλ' εἰς τὰ ἔργα μᾶλλον, καὶ γὰρ ὁ πόλεμος οὐ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ· οὐδ' ἀντιλέγειν ἔξεστι πρὸς τοὺς πολεμίους, ἀλλ' ἢ μαχομένους κρατεῖν ἢ δουλεύειν σιωπῇ* — comparatque haec cum „Antistheneo: *τήν τε ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι, μήτε λόγων πλείστων δεομένην μήτε μαθη-*

Athen. V p. 216 B. *ὁ γὰρ Ἀντισθένης καὶ προσεπάγει τῇ ψευδογραφίᾳ λέγων οὕτως· „ἡμεῖς δὲ ἀκούομεν κἀν τῇ πρὸς Βοιωτοὺς μάχῃ τὰ ἀριστεῖά σε λαβεῖν. — Εὐφήμει, ὦ ξένε· Ἀλκιβιάδου τὸ γέρας, οὐκ ἐμόν. — Σοῦ γε δόντος, ὡς ἡμεῖς ἀκούομεν.“* — Ceterum dissentit Antisthenes a reliquis scriptoribus, qui Socratem non ad Delium, sed ad Potidaeam palmam accepisse narrant (cf. Plat. Symp. 219 E et 220 E; Plut. Alcib. p. 194; Dig. L. II, 23).

1) Antisth. Fragm. Turici 1842.

2) Orat. Att. ed. Becker. vol. V p. 663 sq.; ed. Baiter. et Sauppe vol. II p. 167 sq.

3) De Antisthenis Socratici vita et doctrina (Progr. gymnas. Confluent. 1841) p. 13. 14.

4) p. 664, 29 sq. Becker.

μάτων[1]), et celebri illo: *οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν*".[2]) Sed ut concedamus, esse aliquam similitudinem inter verba illa Ajacis et Antisthenis sententias, tamen inepta ratio, qua eae huic loco inseruntur, vel maxime imitatoris alicujus industriam prodere videtur. Winckelmannus quoque „propter Prodici et Gorgiae imitationem se has duas declamationes genuinas habere" profitetur; attamen, quibus in rebus cerneretur ea imitatio, non exposuit.[3]) Ac quamquam haud negamus, inesse in illis figuras quasdam orationis a Gorgia maxime usurpatas, velut antitheses, paria paribus adjuncta, agnominationes, tamen quantum abhorret earum jejunitas atque exilitas a Gorgiae genere dicendi omnibus luminibus illustrato ac paene dithyrambico. Neque ex usu figurarum illarum certi quidquam colligere licet, cum omnibus eae rhetoribus et sophistis communes fuerint. Omninoque perdifficile est, sitne germanum scriptum aliquod necne, solo genere dicendi dijudicare, praesertim si tam exiguae supersunt scriptoris reliquiae.

Quodsi his argumentis illae declamationes minime confirmantur, ne Diogenis quidem Laërtii testimonium suspicionem ab iis propulsabit. Non probo equidem opinionem Fossii[4]) dubitantis, „istasne declamationes significaverit Diogenes, an obversati potius sint ejus animo Homerici dialogi ab Antisthene compositi." Nam omnes libri, quos enumerat in primo tomo scriptorum Antistheneorum, generis sunt rhetorici, et praeter Ajacis et Ulixis orationes commemorat etiam Orestae defensionem, quae sine dubio ex eodem declamationum genere erat; Homerica autem in octavo demum et nono tomo exstabant. Itaque concedimus quidem jam Diogenem Laërtium vel potius eum, qui scripta Antisthenis in decem tomos digessit, ipsas illas declamationes Cynico nostro attribuisse; sed cum inter omnes constet, quam temere plerique veterum scriptorum subditicios libros pro veris habuerint, haud magni momenti id esse censemus. Facile etiam fieri potuit, ut Antisthenes Cynicus confunderetur cum alio Antisthene, fortasse uno ex iis, quos infra enumerabimus, hujusque opuscula inter illius libros interponerentur.

---

1) Diog. L. VI, 11.

2) Aristot. Metaph. IV, 29 p. 1024b, 32.

3) p. 40. Indicare videtur, se in distinguendis vocabulis *διαγινώσκειν* et *διαδοξάζειν* vestigium artis Prodiciae reperire.

4) De Gorg. p. 94.

Infirmatis igitur omnibus argumentis, quae pro illis declamationibus afferuntur, opponamus alia, quae majore vi contra eas pugnant. Ac praeter omnia id commemorandum est priores sophistas, Gorgiae aequales, declamationes sumere solitos esse ex genere demonstrativo, quod constat in laudationibus aut vituperationibus. Orationes vero ad imitationem fori fictas, i. e. ex genere repetitas judiciali, circa Demetrii demum Phalerei tempus dici coeptas esse auctor est Quinctilianus[1]). Cui generi cum illae declamationes adscribendae sint, patet eas non ad Antisthenem, veterum illorum sophistarum aequalem, referri posse.

Quid vero multa dicam de ineptiis, quibus utraque oratio referta est? Unusquisque taedio earum defatigatus confitebitur, nugas tam frigidas tamque absurdas magis rhetoris alicujus umbratilem exercitationem[2]) quam gravitatem redolere Antisthenis.

Sed totus hic locus artissimo vinculo continetur cum ea quaestione, quid omnino de declamationibus, quae priorum sophistarum esse feruntur, statuendum sit. Praeter Antistheneas enim etiam Gorgiae ejusque discipuli Alcidamantis exstare binas satis notum est. De quibus Fossium, quae in commentatione de Gorgia Leontino p. 78 sq. luculentissime disputavit, omnibus tandem hominibus doctis non minus persuasisse velim, quam recentissimo earum editori, Hermanno Sauppio[3]), persuasit, qui omnes subditicias esse et ineptae posteriorum sophistarum vel rhetorum sedulitati deberi rectissime mihi judicare videtur.

Quae cum ita sint, illas duas declamationes ab Antisthene Cynico abjudicandas et vel a recentiore demum rhetore, qui Antisthenem Gorgiae disciplina usum esse haud ignoraret, non insolito apud veteres more suppositas vel ab alio Antisthene conscriptas esse censemus.

Silentio paene praeterire possum epistolam quandam, quae Antisthenis nomen prae se fert[4]). Cum enim totum illud epistolarum genus Bentleji praeclarissimo de Phalaridis epistolis libro in

---

1) II, 4, 41: Nam fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalerea institutum fere constat.

2) Comparare juvat locum Ovidii (Metam. XIII, 1—381), ubi rhetorum alumnus idem argumentum uberius tractavit.

3) Orator. Att. vol. II. p. 132. 156. 167.

4) Socratis et Socraticorum epistol. ed. Orelli. p. 15. 16.

gravissimam cecidit suspicionem, tum maxime philosophorum epistolas non germanas esse hodie nemo erit, ut opinor, qui neget[1]). Cui autem vel tenuissimus restet scrupulus, perlegat quaeso hanc Antisthenis epistolam, qua vix absurdius quidquam excogitari posse existimo. Scribit enim ad Aristippum eumque, quod apud Dionysium Syracusis commoretur, ita reprehendit, ut „morosum ludi magistrum ad meticulosum puerum scribere“ putes. Quod vero addit: *εἰ δ', ὥς φασί τινες, ἡδονὴν θαυμάζεις, ἄπιθι εἰς Ἀντίκυραν κ. τ. λ.*, quid tandem ineptius dici potest, cum Aristippum voluptariae philosophiae exstitisse patronum apud omnes pervulgatum fuerit? Ejusdem notae est Aristippi epistola, qua Antistheni respondet. — Sed nimis jam operam perdidimus in istis quisquiliis, et tempus est disputationem eo unde digressa est se referre.

Itaque jam ad indicem librorum perditorum accedamus, quem Diogenes Laërtius (VI, 15. 16. 17. 18) servavit. Inquinatus is quidem est multis librariorum mendis, ita ut saepius vel hominum doctorum conjecturis vel nostro Marte verba Diogenis emendare cogamur. Qua in re ideo perdifficile est versari, quod adhuc artis criticae in Diogene Laërtio recte factitandae fundamenta desunt. Quae enim nuper prodiit Cobeti editio, optime illa quidem de Diogene meruit, sed cum nihil contineat praeter verba scriptoris et interpretationem Latinam neque usquam comperias, quid codicum scripturis, quid emendationi editoris debeatur, etiamnunc constanti ratione destituti sumus. — Nec minus ambigi potest, num in omnibus rebus illi indici fides habenda sit,' praesertim cum auctoritatem ejus jam supra, ubi de duabus illis disputavimus declamationibus, imminuerimus. Itaque bene accidit, quod de clarissimis certe Antisthenis libris ad Diogenis Laërtii accedunt aliorum scriptorum testimonia, ex quibus plerumque etiam certius aliquid de iis quae illis continebantur colligere licet.

Digesta erant autem scripta Antisthenis in decem tomos[2]); quae distributio sine dubio non ab Antisthene ipso facta est. Referenda potius est ad unum ex grammaticis Alexandrinis vel Per-

---

1) Cf. de Socraticorum epistolis Bentlejum apud Orell. p. 406 sq. et Meiners. in commentat. societ. Gotting. 1782. tom. V. p. 45 sq.

2) Diog. L. VI, 15 sq. *φέρονται δ' αὐτοῦ συγγράμματα τόμοι δέκα κ. τ. λ.* — Suid. s. v. *Ἀντ. οὗτος συνέγραψε τόμους δέκα.* — Eudocia apud Villois. p. 56.

gamenis[1]), quos ut in aliorum scriptorum, ita in philosophorum quoque libris et disponendis et explicandis elaborasse satis constat[2]). Idem grammaticus, ut in Platone Thrasyllus, primo titulo multorum librorum alterum vel etiam tertium addidisse videtur, velut *περὶ παιδοποιίας ἢ περὶ γάμου ἐρωτικός*. — Ut vero quid Antisthenes in singulis litterarum generibus effecerit magis perspiciatur, non illorum tomorum ordinem sequemur, sed singula scripta secundum ipsa illa genera digeremus.

I. Scripta rhetorica.

Exstabant omnia in primo tomo erantque haecce:

1) *περὶ λέξεως ἢ περὶ χαρακτήρων*. De dicendi generibus.

2) *Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος*. Iam supra exposuimus, hoc titulo et eo qui sequitur significari illas declamationes subditicias, quae Antisthenis nomen prae se ferunt.

3) *Ὀδυσσεὺς ἢ Ὀδυσσέως λόγος*. Ita enim cum Casaubono legendum esse censeo. Quod autem libri manuscripti exhibent *Ὀδυσσεὺς ἢ περὶ Ὀδυσσέως*, manifesto non minus falsum est quam Menagii conjectura *ἢ περὶ Ὀδυσσείας*. Nec satis placet quod Casaubonus primo loco proposuit, probavit Sauppius[3]): *ἢ ὑπὲρ Ὀδυσσέως*. Nam si, quae est nostra sententia, altera illa declamatio significatur, consentaneum est eam similiter inscriptam fuisse ac priorem.

4) *Ὀρέστου ἀπολογία*. Hanc declamationem ejusdem generis fuisse, cujus orationes Ajacis et Ulixis sunt, et ob easdem causas ab Antisthene nostro alienam judicandam esse arbitror. Quod vero Huebnerus, Winckelmannus, Cobetus hunc titulum cum eo qui sequitur particulam *ἢ* inserentes conjunxerunt: *Ὀρέστου ἀπολογία ἢ περὶ τῶν δικογράφων*, id non modo sine codicum subsidio, sed etiam sine idonea causa fecisse videntur. Nam quo tandem modo ea declama-

---

1) Tomi enim illi decem membranei codices fuisse videntur. cf. Ritschl. De biblioth. Alexandr. p. 135 sq.

2) Cf. Brandis. Hist. phil. Graec. I. p. 34.

3) Orat. Att. vol. II. p. 167.

tio ad illos homines pertineret, qui pro aliis orationes judiciales conscribebant? Immo vero aut singularis is titulus est, 5) περὶ τῶν δικογράφων, aut, id quod Sauppius proposuit, cum eo qui sequitur ἰσογραφὴ ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης ita conjungendus, ut suspecto vocabulo ἰσογραφὴ deleto scribatur:

5) περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης. Titulum hoc modo constitutum optime se habere, facile unusquisque concedet. Antisthenem enim eo libro et Isocratem, quocum inimicitias eum exercuisse supra[1]) commemoravi, et Lysiam propter quaestum, quem in conscribendis orationibus faciebant, exagitasse conjicio. Vocabulum autem ἰσογραφὴ neque usquam alibi, quod ego sciam, reperitur et ex vocabulis δικογράφων et Ἰσοκράτης male confusis ortum esse videtur. Foedissimis enim librariorum mendis Diogenem refertum esse, hic ipse titulus iterum demonstrat, qui insuper notissimum Lysiae nomen mutatum habet in Δεσίας. Itaque miror profecto, quod Deycksius[2]) neglecta Wyttenbachii evidentissima emendatione vulgarem lectionem ἰσογραφὴ ἢ Δεσίας ἢ Ἰσοκράτης ita sanare sibi visus est, ut eum titulum qui sequitur adjungens scriberet: Δικογραφία αἰδέσεως ἢ Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον, quod non facile, ut opinor, cuiquam probabit. Nam nec liquet, quid sibi velit δικογραφία αἰδέσεως, et id minus recte suspicatur vir doctissimus, Antisthenem eo libro perstrinxisse Isocratis Laudationem Helenae, quam illa „parum testatae orationis appellatione significari“ putat. Sed id aliter se habere infra exponemus. Nec plane intelligo Winckelmanni sententiam p. 12 annotantis haecce: „Infra cum corrupta sint verba περὶ νίκης οἰκονομικός, malim hic scribere ἀντιγραφή. Λυσίας ἢ Ἰσοκράτης πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Ἀμάρτυρον ὑπὲρ Νικίου.“ Emendatio quidem ἀντιγραφὴ per se haud spernenda est. Sed primum quae tandem ratio intercedit inter illa verba περὶ νίκης οἰκονομικὸς et hunc titulum? Deinde major interpunctio post vocabulum ἀντιγραφὴ in uno eodemque titulo displicet. Denique parum probabile est, Antisthenem eo libro, quem contra Isocratis orationem quandam scripsit, praeter Isocratem etiam Lysiam attigisse. Itaque ultima verba sejungenda novumque titulum faciendum esse censeo:

1) p. 18.
2) l. l. p. 12, 2.

6) πρὸς τὸν Ἰσοκράτους Ἀμάρτυρον. Exstat enim inter Isocratis orationes una (21), quae inscribitur Πρὸς Εὐθύνουν Ἀμάρτυρος[1]). Contra eam igitur Antisthenes libellum scripsisse existimandus est. Quae opinio alia quoque re confirmatur. Cum enim in illa causa litigetur de pecunia deposita (παρακαταθήκῃ), admodum verisimile est Isocratem ad Antisthenis cavillationes spectasse Panegyrici loco (§ 88), ubi haec sunt ejus verba: — τοὺς δὲ τῶν λόγων ἀμφιςβητοῦντας (χρὴ) πρὸς μὲν τὴν παρακαταθήκην καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὧν νῦν φλυαροῦσι παύεσθαι γράφοντας, πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον ποιεῖσθαι τὴν ἅμιλλαν καὶ σκοπεῖν ὅπως ἄμεινον ἐμοῦ περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἐροῦσιν, ἐνθυμουμένους ὅτι τοῖς μεγάλα ὑπισχνουμένοις οὐ πρέπει περὶ μικρὰ διατρίβειν κτλ.

II. Scripta dialectica.

Implebant tomum VI. et partem tomi VII.

7) Ἀλήθεια. Hunc librum dialectici generis fuisse inde patet, quod omnia tomi VI. scripta ad idem pertinent. Erat autem in numero eorum, qui maxime rhetoricum vel Gorgianum dicendi genus exprimebant[2]). Jam ipse titulus memoriam nobis affert illius libri Protagorei (Ἀλήθεια), quo sophista de rerum natura et de scientiae humanae ratione exposuerat[3]). Ut vero Protagoras ex decretis Heracliti, qui omnia continenter labi et fluere volebat, omnia, prout uni cuique singula viderentur, et esse et non essse collegerat, ex eoque porro concluserat, nulli sententiae contradici posse, ita Antisthenes philosophorum Eleaticorum de unitate omnium rerum sententia inductus et fortasse Gorgiae secutus auctoritatem[4]) ejusdem placiti exstitit patronus. Censuit enim suam cuique rei esse proprietatem, ita ut semper una eademque maneret neque cum aliis ullam iniret societatem. Itaque eidem rei plura attribui posse

---

1) Id vero significat sine testibus causam agi.

2) Diog. VI, L. 1. ὅθεν τὸ ῥητορικὸν εἶδος ἐν τοῖς διαλόγοις ἐπιφέρει καὶ μάλιστα ἐν τῇ Ἀληθείᾳ καὶ τοῖς Προτρεπτικοῖς.

3) Cf. Frey. Quaest. Protag. p. 78—96; 176 sq.

4) Cf. Zeller. I, 764.

negavit nec quidquam significari voluit nisi sua quidque ipsius notione[1]). Ex quo efficitur primum omnem contradictionem ac paene omnem errorem tolli[2]), deinde rerum simplicium vel elementorum definitionem, quippe quae plures complectatur notas, admitti non posse[3]). — Has igitur sententias Antisthenes libro, qui inscribebatur Ἀλήθεια, exposuisse videtur[4]).

Ad eundem locum etiam eos qui sequuntur pertinuisse ipsi tituli indicant:

8) περὶ τοῦ διαλέγεσθαι ἀντιλογικός[5]).

9) Σάθων ἢ περὶ τοῦ ἀντιλέγειν α'β'γ'. Hic liber Athenaei quoque testimoniis[6]) confirmatur. Quem contra Platonem, cujus nomen paronomasia satis agresti mutaverat in Σάθων, emisisse Anti-

1) Diog. L. VI, 3. πρῶτός τε ὡρίσατο λόγον εἰπών· λόγος ἐστὶν ὁ τὸ τί ἦν ἢ ἔστι δηλῶν. cf. Schol. in Aristot. p. 256b, 12. Brandis.

2) Aristot. Metaph. Δ 29, 1024b, 32. διὸ Ἀντισθένης ᾤετο εὐήθως μηθὲν ἀξιῶν λέγεσθαι πλὴν τῷ οἰκείῳ λόγῳ ἓν ἐφ' ἑνός· ἐξ ὧν συνέβαινε μὴ εἶναι ἀντιλέγειν, σχεδὸν δὲ μηδὲ ψεύδεσθαι. — Schol. ad h. l. p. 732a, 26 sq. et p. 733a, 23 sq. ed. Brandis. — Topic. Α 11, 104b, 20. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης. — Schol. ad h. l. p. 259b, 14 sq. ed. Brandis. — Plat. Euthyd. 285 sq., Cratyl. 429 D, Theaet. 201 D. sq., Sophist. 251 B. sq., Phileb. 14 C. — Diog. L. IX, 53. — Procl. in Crat. 37. — cf. Hist. phil. Gr. Ritter. II, p. 130 (edit. II.), Brandis. II, 1. p. 81 sq., Zeller II, p. 210 (edit. II.). Quod vero Winckelmannus (p. 35) Schleiermacherum sequens censet, Platonem, ubi refellat Protagorae Veritatem (Euthyd. 286 C, Cratyl. 386 C. 391 C, Theaet. 171 C. 161 C), Antisthenis potius librum perstringere, id propter diversitatem, quae inter utrumque intercessit, non probaverim.

3) Aristot. Metaph. Η 3, 1043b, 23 sq. ὥστε ἡ ἀπορία, ἣν οἱ Ἀντισθένειοι καὶ οἱ οὕτως ἀπαίδευτοι ἠπόρουν, ἔχει τινὰ καιρόν, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ τί ἐστιν ὁρίσασθαι (τὸν γὰρ ὅρον λόγον εἶναι μακρόν) ἀλλὰ ποῖον μέν τί ἐστιν ἐνδέχεται καὶ διδάξαι, ὥσπερ ἄργυρον, τί μέν ἐστιν, οὔ, ὅτι δ' οἷον καττίτερος. ὥστ' οὐσίας ἔστι μὲν ἧς ἐνδέχεται εἶναι ὅρον καὶ λόγον, οἷον τῆς συνθέτου, ἐάν τε αἰσθητὴ ἐάν τε νοητὴ ᾖ· ἐξ ὧν δ' αὕτη πρώτων, οὐκ ἔστιν. — Plat. Theaet. 201 E sq. ἐγὼ γὰρ αὖ ἐδόκουν ἀκούειν τινῶν, ὅτι τὰ μὲν πρῶτα οἱονπερεὶ στοιχεῖα, ἐξ ὧν ἡμεῖς τε συγκείμεθα καὶ τἆλλα, λόγον οὐκ ἔχοι. αὐτὸ γὰρ καθ' αὑτὸ ἕκαστον ὀνομάσαι μόνον εἴη, προςειπεῖν δὲ οὐδὲν ἄλλο δυνατόν, οὔθ' ὡς ἔστιν οὔθ' ὡς οὐκ ἔστιν κ. τ. λ.

4) Etiam Simmias scripserat περὶ ἀληθείας (Diog. L. II, 124).

5) Simoni tribuebatur liber περὶ τοῦ διαλέγεσθαι (Ibid. 123).

6) V, 220 D. καὶ Πλάτωνα μετονομάσας Σάθωνα ἀσύρως καὶ φορτικῶς τὸν ταύτην ἔχοντα τὴν ἐπιγραφὴν διάλογον ἐξέδωκε κατ' αὐτοῦ. — cf. XI, 507 A.

sthenem jam supra (p. 18) commemoravimus. Diogenes autem Laërtius (III, 35) narrat, Antisthenem cum librum, quo contradici non posse exposuisset, fortasse igitur *Ἀλήθειαν*, recitare voluisset, rogasse Platonem ut adesset; qui cum sententiam illius ita refutasset, ut illum communi opinioni contradicere conantem sibi ipsum contradicere demonstraret, Antisthenem contra eum dialogum illum Sathonem conscripsisse. Quo id egisse videtur, ut praeter omnia Platonis de ideis sententiam impugnaret. Quam enim statuebat Plato notionum inter sese rationem atque communionem, eam plane rejiciebat Antisthenes [1]) affirmans, nihil significari posse nisi idem eodem, ex quo id ipsum efficeretur, ut contradictio quoque omnis tolleretur.

Quo autem jure Winckelmannus (p. 35) ad Sathonem retulerit locum Schol. ad Aristot. (p. 22^b, 40 sq.), ubi Antisthenes Zenonis omnem motum negantis argumenta non verbis, sed re ita refellisse narratur, ut surgens ambularet, non video, praesertim cum idem de Diogene Cynico memoriae proditum sit [2]).

10) *περὶ διαλέκτου*. De ratione disserendi.

11) *περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων α' β' γ' δ' ε'*. Cum Antisthenes definitionem tolleret nec quidquam ulli rei attribui vellet nisi ipsam rem, nihil supererat, quo vis atque natura cujusque rei explicari posset, nisi nomen [3]). Id igitur spectare debebat, ut cuique rei proprium aptissimumque nomen poneretur. Itaque omnis institutionis principium situm esse dixit in quaestione de vera significatione vocabulorum [4]), quam et quinque hujus operis libris et eo qui sequitur tractavit:

---

1) Schol. ad Aristot. Categ. p. 66^b, 45 sq. Brandis. *τῶν δὲ παλαιῶν οἱ μὲν ἀνῄρουν τὰς ποιότητας τελέως, τὸ ποιὸν συγχωροῦντες εἶναι, ὥσπερ Ἀντισθένης, ὅς ποτε Πλάτωνι διαμφισβητῶν „ὦ Πλάτων" ἔφη, „ἵππον μὲν ὁρῶ, ἱππότητα δὲ οὐχ ὁρῶ"*. — Ibid. p. 68^b, 25 sq. — Tzetz. Chiliad. VII, v. 605 sq. — Ammon. in Porphyr. Isag. 22 b, quem laudat Menag. ad D. L. VI, 53. — cf. Hist. phil. Gr. Ritter. II, 131; Brandis. II, 1, 82; Zeller. II, 212.

2) Diog. L. VI, 39.

3) Plat. Theaet. 201 E. sq. — *νῦν δὲ ἀδύνατον εἶναι ὁτιοῦν τῶν πρώτων ῥηθῆναι λόγῳ· οὐ γὰρ εἶναι αὐτῷ ἀλλ' ἢ ὀνομάζεσθαι μόνον· ὄνομα γὰρ μόνον ἔχειν* —.

4) Arrian. Epict. Dissert. I, 17. *Ἀντισθένης λέγει ὅτι ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις.*

12) περὶ ὀνομάτων χρήσεως [ἢ][1]) ἐριστικός.

13) περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως. Fortasse hic liber ad grammaticum potius genus referendus est, siquidem a grammaticis illius temporis ἐρώτησις et ἀπόκρισις, quas nunc communi indicativi nomine comprehendimus, in modis verbi numerabantur[2]).

14) περὶ δόξης καὶ ἐπιστήμης α'β'γ'δ'. His quatuor libris Antisthenes de quaestione imprimis ab Eleaticis philosophis tractata disputavit illisque magis quam Socrati eam opinionis et scientiae distinctionem debere videtur[3]). Satis vero constat Platonem tertia Theaeteti parte[4]) philosophi cujusdam, quem nominatim non appellat, sententiam examinare scientiam ita definientis, ut sit ἀληθὴς δόξα μετὰ λόγου. Quodsi comparamus Aristotelis testimonium[5]) cum iis, quae Plato exposuit, dubitare non possumus, quin illa definitio Antistheni tribuenda ab eoque his ipsis libris explicata sit[6]).

Ad eundem locum pertinuit:

15) δόξαι ἢ ἐριστικός.

16) περὶ τοῦ μανθάνειν προβλήματα. Antisthenem hoc libro illam sophistarum tractasse puto quaestionem, quam apud Platonem Meno[7]) et Euthydemus[8]) proponunt, num quid omnino discere possimus, cum, quid sit quod discere velimus, ignoremus, nec temere suspiceris, eum Platonicam illam de recordatione vitae superioris sententiam explosisse[9]).

---

1) ἢ ejecit Cobetus.
2) Cf. Frey. Quaest. Protag. p. 133.
3) Cf. Zeller. Hist. phil. Gr. II, 77, 1.
4) p. 201 C. sq.
5) Metaph. *H* 3, 1043b. — cf. p. 37, 3.
6) Critoni tribuebantur: περὶ τοῦ γνῶναι ἢ π. τῆς ἐπιστήμης, τί τὸ ἐπίστασθαι (Diog. L. II, 121); Simoni περὶ ἐπιστήμης (II, 122); Simmiae περὶ τοῦ εἰδέναι (II, 124).
7) p. 80 D.
8) p. 276 D. sq.
9) Critoni adscribebatur dialogus περὶ τοῦ μαθεῖν (D. L. II, 121).

III. Scripta physica.

17) *περὶ ζώων φύσεως.* Hic liber exstabat in tomo II., reliqui in tomo VII.

18) *περὶ τοῦ ἀποθανεῖν.*

19) *περὶ ζωῆς καὶ θανάτου*[1]).

20) *περὶ τῶν ἐν ᾅδου.* Etiam Democritus et Protagoras libros ejusdem tituli ediderant, quibus historiam eorum, qui cum visi essent mortui in vitam redierunt, enarrasse feruntur[2]). Fortasse vero Antisthenes in universum de conditione, qua essent mortui apud inferos, egerat. Huc referenda est illa sententia ejus, animas mortuorum pari forma esse atque corpora, in quibus habitaverint[3]).

21) *περὶ φύσεως α' β'.* Sine dubio hic liber idem est, quem Cicero et Lactantius appellant Physicum. Antisthenes eo vulgarem de numine divino impugnavit opinionem dicens populares deos multos, naturalem unum esse[4]). In eodem libro, ut cum Winckelmanno arbitror, deum oculis cerni aut cuiquam similem esse negavit; quamobrem neminem ex simulacro eum cognoscere posse[5]). — Ceterum sine idonea causa Winckelmannus auctore C. Fr. Hermanno hunc titulum plane sustulit eum qui sequitur tantum relinquens.

---

1) Simmiae dialogum *περὶ ζωῆς* commemorat D. L. II, 124.

2) Cf. Mullach. Democr. fragm. p. 113. 114. Frey. Quaest. Protag. 180. 181.

3) Schol. Venet. ad Iliad. *ψ'*, 65.

„*ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο*"

ἐντεῦθεν Ἀντισθένης ὁμοσχήμονάς φησι τὰς ψυχὰς τοῖς περιέχουσι σώμασιν εἶναι. cf. Eustath. ad h. l.

4) Cic. De Nat. Deor. I, 13, 32. „Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui Physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens tollit vim et naturam deorum". — Lactant. De Ira Dei c. 11; De Div. Instit. I, 5. — Minuc. Felix c. 19, 8.

5) Clem. Alexandr. Protrept. c. VI. § 71. p. 61. Potter. *Ἀντισθένης — θεὸν οὐδενὶ ἐοικέναι φησίν· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται.* cf. Strom. V, c. 14. p. 714. — Theodoret. Gr. Aff. Cur. I, p. 713. *καὶ Ἀντισθένης — περὶ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων βοᾷ· ἀπὸ εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε. διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται.*

22) ἐρώτημα περὶ φύσεως α' β'. Haec est enim duorum codicum scriptura, quam etiam editio princeps Frobeniana ex parte confirmat. Vulgo legitur ἐρώτημα περὶ φύσεως β'.

IV. Scripta ethica et politica.

Hoc scriptorum Antisthenis genus non modo numero, sed etiam auctoritate atque gravitate librorum ceteris praestabat. Primum autem locum obtinebant ii libri, quorum alteri Herculis, alteri Cyri nomen ferebant; iis enim Antisthenes praecepta ethicae Cynicae accuratissime explicaverat, imprimis illam sententiam, laborem esse bonum, Herculis et Cyri exemplis comprobaverat[1]). — Ac Diogenes quidem Laërtius auctor est tres fuisse libros, quos ille Cynosargis atque Cynicorum patrono dedicasset[2]):

23) Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ ἰσχύος. (tom. IV.)

24) Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος. (tom. X.)

25) Ἡρακλῆς καὶ[3]) Μίδας. (tom. X.) Sed vereor, ut haec recte se habeant. Nam primum vix adducor, ut credam Antisthenem singulari libro de fortitudine animi ac non simul de prudentia, quippe quae artissimo vinculo cum illa contineatur, disputasse. Accedit quod non solum in libro quodam, qui Eratosthenis esse fertur[4]), sed etiam apud Diogenem ipsum aliis locis[5]) simpliciter Hercules Antisthenis laudatur, quasi unus fuerit liber. Rursus et hoc loco majorem et alio (II, 61) minorem Herculem commemorat Diogenes, ita ut unus certe ex illis tribus rejiciendus esse videatur. Denique in ipsis verbis ἢ περὶ ἰσχύος, quae primi et secundi tituli communia sunt, depravationis vestigia satis apparent. Indicio sunt

1) Diog. L. VI, 2. καὶ ὅτι ὁ πόνος ἀγαθὸν συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους καὶ τοῦ Κύρου, τὸ μὲν ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων, τὸ δὲ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἑλκύσας.

2) Antisthenes ipse ab Eusebio (Praep. evang. XV, 13, 7) appellatur Ἡρακλεώτικός τις ἀνὴρ τὸ φρόνημα.

3) Ita enim auctore Welckero legendum esse censeo pro vulgari ἤ.

4) Catasterism. c. 40. καθάπερ Ἀντισθένης φησὶν ὁ Σωκρατικὸς ἐν τῷ Ἡρακλεῖ.

5) VI, 104. 105.

enim, illas duas inscriptiones ad unum eundemque librum pertinuisse, qui primo inscribebatur simpliciter *Ἡρακλῆς*. Illa autem additamenta (*ὁ μείζων, ἢ περὶ ἰσχύος, ἢ περὶ φρονήσεως*) postea demum orta sunt, quae cum in aliis exemplaribus aliter exstarent, Diogenes vel is, qui scripta Antisthenis in decem tomos digessit, inductus est, ut qui unus erat liber haberet pro duobus. Itaque altero titulo sublato scribendum esse arbitramur: *Ἡρακλῆς ὁ μείζων ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος*. Minorem autem Herculem appellatum esse opinor illum librum, qui inscribebatur *Ἡρακλῆς καὶ Μίδας*, qui cum adjunctum habeat Midae nomen, illis locis, ubi simpliciter Hercules Antisthenis laudatur, majorem intelligendum esse patet. Ad hunc igitur reliquiae, quas Winckelmannus p. 15. 16 collegit, referendae esse videntur. Ac minorem in simili argumento versatum esse atque Prodici notissimam fabulam, ita ut in Hercule virtutis, libidinis in Mida [1]) cerneretur exemplum, acute ut solet conjecit Welckerus [2]). Illum autem, qui appellabatur major, dialogum fuisse constat, quo Hercules ipse primas partes egit [3]). Antisthenes enim eam fabulam secutus, quae Herculem consuetudine ac disciplina Chironis sapientis utentem facit [4]), quoad ipse sagitta fortuito lapsa mortem ei affert [5]), Herculi sapientis personam imposuit eumque ut principem atque auctorem philosophiae Cynicae induxit. Ipsa inscriptio *περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος* indicat, eum hoc libro egisse de prudentia et fortitudine animi, quibus nihil in vita magis expetendum esse arbitrabatur. Summum enim bonum virtus est [6]), quae cum in nulla alia re con-

---

1) Cf. Preller. Mythol. Gr. I, 405.

2) Mus. philol. Rhenan. 1833. p. 592.

3) Plut. De vitios. pud. c. 18. p. 536 B. — *ὁ Ἀντισθένιος Ἡρακλῆς παρήνει τοῖς παισὶ διακελευόμενος μηδενὶ χάριν ἔχειν ἐπαινοῦντι αὐτούς.* — Procl. in Plat. Alcib. I. p. 98. 99. Creuzer. *λέγει οὖν καὶ ὁ Ἀντισθένους Ἡρακλῆς περί τινος νεανίσκου παρὰ τῷ Χείρωνι τρεφομένου· μέγας γάρ φησι καὶ καλὸς καὶ ὡραῖος, οὐκ ἂν αὐτοῦ ἠράσθη δειλὸς ἐραστής.*

4) Eratosth. l. l. *ἐφ' ὃν* (Chironem) *Ἡρακλῆς δοκεῖ ἐλθεῖν δι' ἔρωτα — καθάπερ Ἀντισθένης φησὶν ὁ Σωκρατικὸς ἐν τῷ Ἡρακλεῖ.*

5) Schol. ad Germanici Aratea (in edit. Arati Buhliana II, 87). „Cujus (Chironis) hospitio cum Hercules uteretur, sicut Antisthenes dicit, e pharetra sagitta lapsa dicitur pedem ejus vulnerasse“ etc.

6) Diog. L. VI, 104. *ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ τέλος εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν ὡς Ἀντισθένης φησὶν ἐν τῷ Ἡρακλεῖ.* cf. 11. *αὐτάρκη γὰρ τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος.*

sistat nisi in prudentia (φρονήσει)[1], sequitur primum ut una eademque sit neque in varias partes distrahenda[2]), deinde ut eam discere possimus[3]). Quod ita fit, ut laborando vires exerceamus et fortitudinem illam animi (ἰσχύν) assequi studeamus; ergo labor bonum est[4]). Qui vero illam vel virtutem vel prudentiam vel animi fortitudinem adeptus est, nec quidquam quaerit aliunde[5]), neque unquam illa privatur[6]), nec falli potest, nec fortunae se committit[7]), denique solus nomine dignus est sapientis. — Haec est brevis quaedam adumbratio eorum, quae Antisthenes libro, qui inscribebatur Hercules, exposuerat.

Neque solum Herculis exemplo comprobare studuit, laborem esse bonum, sed etiam Cyri majoris attulit auctoritatem, quem apud Socraticos in summa fuisse laude Xenophontis quoque *Κύρου Παιδεία* testimonio est. — Diogenes autem Laërtius duo libros enumerat:

26) *Κῦρος.* (t. IV.)

27) *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας.* (t. V.) Alio loco commemorat Antisthenis minorem Cyrum[8]), ex quo efficitur, ut etiam majorem exstitisse censeamus. Fortasse ille, qui cum Hercule majore tomum IV. complebat, major inscribebatur, alter (tom. V.) minor. Athenaeus quoque duo Cyros Antisthenis distinguit[9]). Cicero[10]) autem et

---

1) Ibid. 13. *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησις.* cf. Zeller. II, 221.

2) Schol. Lips. ad Il. ο', 123. *Ἀντισθένης φησίν, ὡς, εἴ τι πράττει ὁ σοφός, κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ.* — Diog. L. VI, 12. *ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή.*

3) Diog. L. VI, 105. *ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ τὴν ἀρετὴν διδακτὴν εἶναι, καθά φησιν Ἀντισθένης ἐν τῷ Ἡρακλεῖ, καὶ ἀναπόβλητον ὑπάρχειν.* cf. 10.

4) Ibid. 2. *καὶ ὅτι ὁ πόνος ἀγαθὸν συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους καὶ τοῦ Κύρου κ. τ. λ.*

5) Ibid. 11. *αὐτάρκη τ' εἶναι τὸν σοφόν· πάντα γὰρ αὐτοῦ εἶναι τὰ τῶν ἄλλων.* cf. 12.

6) Ibid. 12. cf. annot. 3.

7) Ibid. 105. *ἀξιεραστόν τε τὸν σοφὸν καὶ ἀναμάρτητον καὶ φίλον τῷ ὁμοίῳ τύχῃ τε μηδὲν ἐπιτρέπειν.*

8) II, 61. *ἀλλὰ καὶ τῶν Ἀντισθένους τόν τε μικρὸν Κῦρον — ἐσκευώρηται.*

9) V, p. 220 C. *Ἀντισθένης δ' ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων.*

10) Epist. ad Att. XII, 38. „*Κῦρος δ' ε'* mihi sic placuit ut cetera Antisthenis“ etc.

Phrynichus[1]) simpliciter Cyrum Antisthenis laudantes aut majorem tantum spectasse aut propter similitudinem argumenti duo illos libros in unum comprehendisse videntur; simul tamen Cicero ipse Diogenis Laërtii testimonium confirmat, cum numeri additi δ' ε' explicari nequeant, nisi tomum IV. et V., in quibus duo Cyri exstabant, significari statuas. Accuratius de iis, quae his duobus dialogis continebantur, disputare propter exiguitatem fragmentorum[2]) non licet. Servatum est dictum illud nobilissimum, postea etiam ab Alexandro Magno usurpatum: *Βασιλικόν, ὦ Κῦρε, πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν*[3]). Deinde apud Arsenium[4]) Cyrus rex interrogatus, *τί ἀναγκαιότατον εἴη μάθημα*, respondet: *τὸ ἀπομαθεῖν τὰ κακά.* Quod dictum cum iisdem fere verbis Antistheni tribuatur[5]), in Cyro Antisthenis exstitisse existimandum est. Denique ex Athenaeo[6]) compertum habemus, Antisthenem in altero Cyrorum maledixisse Alcibiadi, quod Persarum more cum matre, filia, sorore concumberet. —

Iam enumeremus reliquos hujus generis libros, qui aliorum quoque scriptorum testimoniis confirmantur:

28) *περὶ τῶν σοφιστῶν φυσιογνωμονικός.* (t. II.) De hoc libro apud Athenaeum[7]) leguntur haecce: *Ἀντισθένης*[8]) *δ' ἐν Φυσιογνωμονικῷ· „καὶ γὰρ ἐκεῖναι τὰ δελφάκια πρὸς βίαν χορτάζουσι“.* Unde conjicias, Antisthenem comparasse sophistas discipulis suis sapientiam inculcantes cum servis porculos per vim saginantibus. Probabile est autem eum Zopyri artem, qui Socratis aetate primus exstitit physiognomon[9]), ad deridendos sophistas adhibuisse[10]).

1) Phot. Biblioth. p. 101b, 4 sq. — *Ἀντισθένην μετὰ τῶν γνησίων αὐτοῦ δύο λόγων τοῦ περὶ Κύρου καὶ τοῦ περὶ Ὀδυσσείας.*

2) Apud Winckelm. p. 17 sq.

3) Arrian. Epict. Dissert. IV, 5, 20. *τί οὖν λέγει Ἀντισθένης, οὐδέποτ' ἤκουσας; „βασιλικόν, ὦ Κῦρε, κτλ.* — cf. M. Aur. Antonin. *Εἰς ἑαυτ.* VI, 36.

4) *Ἰωνιά* ed. Walz. p. 502. — cf. Philol. VI. p. 578. 579.

5) Diog. L. VI, 7. *ἐρωτηθεὶς τί τῶν μαθημάτων ἀναγκαιότατον, ἔφη, „τὸ κακὰ ἀπομαθεῖν“.* — cf. Stob. App. e Ms. Flor. 16, 33 p. 403. Gaisford.

6) V, p. 220 C. *Ἀντισθένης δ' ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων κακολογῶν Ἀλκιβιάδην κ. τ. λ.*

7) XIV, p. 656 F.

8) Ita enim lectionem vulgarem *Ἀντιφάνης* correxit Dindorfius.

9) Cic. De Fato c. 5. Tuscul. IV, 37.

10) Unus ex Phaedonis dialogis inscribebatur Zopyrus (D. L. II, 105).

29) περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικός πρῶτος, δεύτερος, τρίτος. (t. II.) Ambrosius verba περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας plane omittit, idque probant Huebnerus et Winckelmannus. Sed hunc ipsum titulum ad Antisthenem referendum, alterum postea demum additum esse arbitror. In his dialogis et in Veritate maxime apparuisse Gorgiae rhetoricum dicendi genus, Diogenes Laërtius (VI, 1) affirmat; unde factum esse opinor, ut veteres grammatici ex iis complures voces singulares colligerent[1]). Sed de argumento eorum ex his fragmentis nihil elici potest. Protrepticum autem ab Jsocrate perstringi supra (p. 18, 2) commemoravimus.

30) περὶ Θεόγνιδος δ' ε'. (t. II.) Hos duo dialogos etiam ex Protrepticorum genere fuisse indicant numeri additi δ' ε', optimeque id cum ratione sententiarum Theognidis convenit, quas praeter omnia virtutem commendare satis constat. Etiam Xenophon de Theognide librum edidisse fertur. Magna erat enim Theognis apud Graecos auctoritate et cum Homero, Hesiodo, aliis a pueris edisci solebat[2]).

31) Ἀσπασία. (t. V.) In hoc libro Antisthenem Periclis filiis, Xanthippo et Paralo, maledixisse Athenaeus auctor est[3]), eodemque pertinere videntur quae alio loco[4]) de Pericle et Aspasia ipsis eum narrasse commemorat. Aeschines quoque Socraticus Aspasiam conscripserat[5]), ex qua cum Plutarchus[6]) similia sumpserit, homines docti apud Athenaeum (XIII, 589 E) Αἰσχίνης, non Ἀντισθένης scribendum esse suspicati sunt. Sed primum facile fieri potuit, ut uterque eandem rem narraret; deinde Athenaeus h. l. id tantum ab Antisthene mutuatus esse videtur, quod Periclem bis quotidie Aspasiam visisse tradit, id vero illo Plutarchi loco non commemoratur; reliqua, quae similiter ac Plutarchus de accusatione Aspasiae narrat, minime necesse est Antistheni adscribantur.

1) Cf. locos quos p. 28, 3 laudavi.

2) Cf. Theogn. ed. Welcker. p. LXXII; Bernh. Hist. litt. Gr. I, p. 71; II, 1, p. 456. (edit. II.)

3) V, p. 210 D. ἡ δ' Ἀσπασία τῶν Περικλέους υἱῶν Ξανθίππου καὶ Παράλου διαβολὴν (περιέχει) κ. τ. λ.

4) XIII, p. 589 E. Ἀντισθένης δὲ ὁ Σωκρατικὸς ἐρασθέντα φησὶν αὐτὸν (Periclem) Ἀσπασίας δὶς τῆς ἡμέρας εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα ἀπ' αὐτῆς ἀσπάζεσθαι τὴν ἄνθρωπον. — cf. Plut. Vit. Pericl. c. 24.

5) D. L. II, 61. — Athen. V, p. 220 B.

6) Vit. Pericl. c. 32.

32) *περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας.* (t. III.) Athenaeus[1]) hunc librum appellat Politicum in eoque Antisthenem in omnes homines populares Atheniensium invectum esse perhibet. Ex eodem sumptam esse conjicio fabulam illam politicam, quam Aristoteles Antistheni tribuit[2]), qua imperium populi derideri manifestum est. Nec minus huc pertinent illa dicta, quae rempublicam Atheniensium castigant (p. 16). Praecipue autem hoc libro illam Cynicorum sententiam, sapientem totius mundi incolam et civem esse, explicatam fuisse arbitror. Itaque Antisthenes a republica capessenda dehortatur[3]) et sapientem non secundum civitatis, sed virtutis leges in ea versari dicit[4]). Neque adversor Zellero[5]) suspicanti, jam Antisthenem docuisse, quae Zenonem Stoicum, Cynicorum discipulum, exposuisse scimus, qui quidem omnes homines gregis instar eadem ratione iisdemque institutis vivere voluit[6]). Quod si ita est, Platonem (Polit. 267 C—275 C et De Republ. II, 372 A sq.) Antisthenis librum politicum respexisse facile concedimus.

33) *Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας.* (t. X.) Alter titulus *ἢ περὶ βασιλείας* argumento est, hunc librum non ab Archelao Physico, Anaxagorae discipulo, sed ab illo Macedoniae rege, qui atrocissimis caedibus regno potitus litterarum artiumque Graecarum exstitit patronus, nomen duxisse. In Gorgia autem Platonis[7]) Polus, sophistae discipulus, exemplo Archelai comprobare studet, ad vitam beatam nihil interesse, justene facias necne. Fortasse Gorgias ipse hoc exemplo usus erat ob eamque causam ab Antisthene reprehensus est. Ita

1) V, p. 220 D. *ὁ δὲ πολιτικὸς αὐτοῦ διάλογος ἁπάντων καταδρομὴν περιέχει τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν.* — Critoni tribuebantur: *τί τὸ ἐπιτήδειον ἢ Πολιτικὸς* et *Πρωταγόρας ἢ Πολιτικός* (D. L. II, 121).

2) Cf. p. 27, 2.

3) Stob. Floril. 45, 28. *Ἀντισθένης ἐρωτηθείς, πῶν ἄν τις προςέλθοι πολιτείᾳ, εἶπε· καθάπερ πυρί, μήτε λίαν ἐγγύς, ἵνα μὴ καῇς, μήτε πόῤῥω, ἵνα μὴ ῥιγώσῃς.*

4) Diog. L. VI, 11. *καὶ τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύσεσθαι, ἀλλὰ τὸν τῆς ἀρετῆς.*

5) II, 232, 3.

6) Plut. De fort. Alex. I, 6. p. 329.

7) 470 D. sq.

quidem intelligitur Athenaeus[1]), qui tradit Archelaum Antisthenis exagitasse Gorgiam.

Restant ea hujus generis scripta, quae solo Diogenis Laërtii indice confirmantur.

34) *περὶ παιδοποιίας ἢ περὶ γάμου ἐρωτικός*[2]). (t. II.) Cum jam per se probabile sit Antisthenem legitimum conjugium, quippe quo libertatem sapientis impediri atque obstringi judicarent Cynici, haud sane commendasse, tum e Xenophontis Symposio[3]) id satis apparet. Itaque illo libro conjugium non tam laudatum quam improbatum ad eumque illos locos referendos esse censemus, ubi Antisthenes matrimonium dissuadere ejusque loco Venerem vulgarem commendare videtur[4]). — Fortasse ex eodem libro sumptus est Clementis Alexandrini locus, quem jam supra[5]) laudavi. Quid vero Winckelmannus huc traxerit Xenoph. Symp. IV, 57—66, non perspicio.

35) *περὶ ἀγαθοῦ.*[6]) (t. III.) Hoc libro Antisthenem perversas hominum opiniones de summo bono refutasse conjicio. Quae enim vulgus concupiscere solet, velut divitias, genus nobile, gloriam, ea Cynicus non flocci facit, immo paupertatem et obscuritatem in bonis ducit[7]), voluptatem vero vel maxime detestatur. Itaque huc

---

1) V, p. 220 D. *ὁ δὲ Ἀρχέλαος Γοργίου τοῦ ῥήτορος (καταδρομὴν περιέχει).*

2) Euclidi tribuebatur *Ἐρωτικός* (D. L. II, 108), Simmiae *περὶ τοῦ ἔρωτος* (D. L. II, 124).

3) IV, 38.

4) Diog. L. VI, 3. *πρὸς δὲ τὸν ἐρόμενον ποδαπὴν γήμῃ ἔφη· „ἂν μὲν καλήν, ἕξεις κοινήν, ἂν δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν.* Ibid. *χρὴ τοιαύταις πλησιάζειν γυναιξὶν αἳ χάριν εἴσονται.* — VI, 11. *γαμήσειν τε (τὸν σοφὸν) τεκνοποιίας χάριν ταῖς εὐφυεστάταις συνιόντα γυναιξί.* Vocabulum enim *γαμεῖν* h. l. non justum conjugium significare ex iis quae sequuntur perspicuum est. Ceterum Winckelm. recepit conjecturam C. Fr. Hermanni *ἀφυεστάταις* pro *εὐφυεστάταις*, quam recte improbavit Zellerus (II, 229, 1), quod ad liberos quidem procreandos Antisthenem aptissimas (*εὐφυεστάτας πρὸς τεκνοποιίαν*) commendasse mulieres satis consentaneum sit.

5) p. 17, 9.

6) Etiam Simonis liber ferebatur *περὶ τοῦ ἀγαθοῦ* (D. L. II, 122).

7) Xenoph. Symp. IV, 34 sq. — Stob. Floril. I, 30. 10, 42. — Diog.

referam celebratissimum illud Antisthenis dictum: μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην [1]). Virtus sola bonum, vitiositas malum, omnia alia indifferentia sunt [2]).

36) περὶ ἀνδρείας [3]). (t. III.)

37) περὶ νόμου ἢ περὶ καλοῦ καὶ δικαίου [4]). (t. III.) Forsitan hunc titulum tollendum esse censeas, cum ex eo, qui apud Diogenem praecedit περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας (32), ortus esse videatur, ita ut huic ipsi verba ἢ περὶ καλοῦ και ἀγαθοῦ addita fuisse existimes.

38) περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας. (t. III.) Cum sapiens Cynicus solius virtutis leges sequatur, nihil ejus interest, quem locum in republica teneat, immo vero, cum ipse unus vera utatur libertate, ne servitute quidem eam amittet, sed in ea quoque conditione semper erit non modo liberrimus, sed etiam ceterorum dominus [5]). Quam sententiam Antisthenes hoc libro explicasse putandus est [6]).

39) περὶ πίστεως. (t. III.)

40) περὶ ἐπιτρόπου ἢ περὶ τοῦ πείθεσθαι. (t. III.) Ita Huebnerus et Cobetus. Quod vero C. Fr. Hermannus [7]) et Winckelmannus (p. 13) aliqua ex parte Ambrosii auctoritate nixi proposuerunt: περὶ πίστεως ἢ περὶ ἐπιτρόπου, περὶ τοῦ πείθεσθαι, id sine idonea causa fecisse videntur.

41) περὶ νίκης. (t. III.)

42) οἰκονομικός. (t. III.) Sejunximus haec, quae vulgo pro uno titulo habentur περὶ νίκης οἰκονομικός. Nam quomodo liber de victoria appellari potuerit Oeconomicus, me non videre fateor. Sed

---

L. VI, 105. πλούτου καὶ δόξης καὶ εὐγενείας καταφρονοῦσιν. — 11. τήν τε ἀδοξίαν ἀγαθὸν καὶ ἴσον τῷ πόνῳ.

1) Diog. L. VI, 3. cf. locos quos laudavit Zellerus (II, 217, 5).

2) Ibid. 12. 104. 105.

3) Libri ejusdem tituli tribuebantur Simoni (D. L. II, 122) et Simmiae (124).

4) Critonis et Simonis dialogos περὶ νόμου et περὶ τοῦ καλοῦ commemorat D. L. II, 121. 122; Simmiae τί τὸ καλόν. 124.

5) Cf. quae de Diogenis Cynici servitute memoriae prodita sunt (Diog. L. VI, 29 sq. 74 sq.).

6) Forsitan cum Zellero huc referas Antisthenis dictum: ὅστις δὲ ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν. (Stob. Floril. 8, 14).

7) Zimmerm. Ephemerid. 1834. p. 103.

dubito, an in vocabulo νίκης, quippe cui non clara sententia subjecta sit, mendum lateat.

43) κύριος ἢ ἐρώμενος. (t. X.)[1]).

44) κύριοι ἢ κατάσκοποι. (t. X.) Hos duo titulos perobscuros vix explices. Winckelmannus in priore pro κύριος proposuit Κύρνος, quod non facile cuiquam probabit, alterum intactum reliquit. Cobetus pro κύριος et κύριοι utroque loco scripsit Κῦρος, sed ex iis, quae supra (p. 43) exposuimus, apparet, duo tantum Antisthenis exstitisse libros, qui Cyri nomen ferrent.

45) Μενέξενος ἢ περὶ τοῦ ἄρχειν. (t. X.)[2]). Menexenum, unum ex fidelissimis Socratis discipulis, dialogo ejusdem nominis, qui Platonis esse fertur, nobilitatum esse satis constat. Ex prooemio[3]), ubi Menexenus reipublicae administrandae cupidus esse narratur, facile colligas, ab eodem Antisthenis librum nomen reperisse.

47) Ἀλκιβιάδης. (t. X.)[4]). Iam supra (p. 44) diximus Antisthenem in altero Cyro licentiam Alcibiadis notasse. Quod autem illo loco quasi praeteriens fecisse existimandus est, id hoc singulari libro copiosissime exposuisse videtur. Ac profecto quem severus morum castigator atque studiosissimus Socratis discipulus vehementius insectari debuit quam Alcibiadem, qui tam saepe insitae virtutis oblitus omnibus libidinibus se dabat tantamque Socrati magistro conflabat civium invidiam, ut ejus partim culpa Socrates condemnatus esse putaretur? Neque tamen injuste Alcibiadem tractavit, sed quae in eo laudanda erant meritis laudibus extulit. Testimonio sunt nonnulli loci, quos Winckelmannus Cyro adscripsit, ego ad hunc potius librum referam[5]). Eidem attribuo quod Plutarchus ab Antisthene sumpsit in vita Alcibiadis (c. 1).

---

1) Fortasse huic libro tribuendum est illud dictum Antisthenis: καὶ ἐρασθήσεσθαι δέ· μόνον γὰρ εἰδέναι τὸν σοφόν, τίνων χρὴ ἐρᾶν. (D. L. VI, 11).

2) Etiam Glauco Menexenum scripsisisse fertur. (D. L. II, 124).

3) 234 A. B.

4) Etiam Aeschinis et Euclidis exstabant dialogi, qui Alcibiades inscribebantur. (D. L. II, 61. 108).

5) Athen. XII, p. 534 C. — Proclus in Plat. Alcib. I, p. 114. Creuzer. — Olympiod. in Alcib. I, p. 28. Creuzer. —

V. Homerica.

Inter decem librorum Antisthenis tomos erant duo, VIII. et IX., qui praecipue ad interpretationem spectabant Homeri. Qua in re Diogenis Laërtii auctoritas et Dionis Chrysostomi testimonio [1], qui Cynicum nostrum explicando Homero operam dedisse tradit, et scholiis confirmatur Homericis, quae Antisthenem compluribus locis inter poëtae interpretes commemorant [2]. — Quid vero secutus sit Antisthenes in interpretando Homero intelligitur e Xenophontis Symposio [3], ubi rhapsodorum nationem appellat ineptissimam, quippe qui memoriter quidem teneant carmina Homerica, sed — id quod Socrates addit — veram cogitationem (*τὰς ὑπονοίας*) poëtae non assequantur. Accuratius idem demonstrat Dio Chrysostomus (l. l.), cujus verba sunt haecce: *ὁ δὲ λόγος οὗτος Ἀντισθένους ἐστὶ πρότερον, ὅτι τὰ μὲν δόξῃ, τὰ δὲ ἀληθείᾳ εἴρηται τῷ ποιητῇ*, i. e. veram suam sententiam in aliis rebus professum esse Homerum, in aliis accomodantem se ad communem opinionem obscurasse allegoria. Cujus quidem sententiae Antisthenes non primus fuit auctor. Cum enim maxime philosophorum inventis priscae religiones labefactari coeptae essent et praeter alios Xenophanes Homerum propter impias de natura deorum opiniones acerbissime castigasset, jam ante Antisthenem exstiterunt multi, velut Theagenes, Metrodorus, Stesimbrotus, Glauco, Anaximander Lampsacenus, Anaxagoras, denique antiqui sophistae, qui poëtae sententias cum novis philosophorum decretis ita conciliare studebant, ut omnia, quae ab iis discreparent, allegoria involuta esse affirmarent atque interpretationibus modo ethicis modo physicis explicarent [4]. Quorum rationem quis miretur amplexum esse Antisthenem, quem vulgarem de diis opinionem atque religiones institutas impugnasse supra exposuimus? Exempli causa illum Clementis

---

1) Orat. LIII, p. 276. Reisk.

2) Schol. ad Odyss. α', 1 p. 9 Buttm.; ε', 211 p. 193; η', 257 p. 267; ι', 525 p. 328. — Schol. Venet. ad Iliad. λ', 637; ψ', 65. — Schol. Lips. ad Il. ο', 123. — apud Winckelm. p. 24—28.

3) III, 6.

4) Cf. Lobeck. Aglaoph. I, 155 sq. Bernhard. Hist. litt. Gr. II, 1. p. 66 (ed. II). Zeller. Hist. phil. Gr. I, 703.

Alexandrini locum[1]) affero, ubi Cynicus Amoris divinitatem negat ejusque nomine perturbationem animi humani significari vult. Antisthenis autem vestigia secuti sunt Diogenes et Crates, per quem allegorica in explicandis fabulis ratio ad Stoicos propagata est. Ceterum Antisthenes secundum totam philosophiae Cynicae rationem praecipue ethicam interpretationem ad illas fabulas adhibuisse videtur. Cui rei cum ii libri, quibus Herculem ut virtutis exemplar depinxerat, tum tituli plurimarum commentationum Homericarum testimonio sunt[2]). Sumptae enim eae erant praecipue ex Odyssea, quae magis quam Ilias locum dat de moribus disputandi. Neque tamen, sicut posteriores grammatici, perpetuis commentariis persecutus est poëtam, sed potius singulos locos elegit, quibus interpretationis allegoricae exempla exhiberet[3]) Qua vero ratione in hac re versatus sit, cum exigua tantum exstent Homericorum ejus fragmenta, accuratius exponi nequit. Paulo uberius scholia ad Odyss. *α'*, 1 Antisthenis sententiam de significatione vocabuli *πολύτροπος* tradunt, ubi quamquam verba ejus hic illic mutata esse videntur, tamen vel e singulis orationis membris statim Cynicum nostrum agnosces[4]). Patet autem, eum Ulixem quoque ut virtutis exemplar proposuisse. Nam epitheto *πολύτροπος* Laërtiaden non appellari dolosum vel improbum, immo sapientiam ejus laudari et illam vocem non ad mores, sed ad dicendi facultatem referri vult, ita ut significet eum, qui ad singulos homines sermonem recte accommodet; quam interpretationem hodie non facile quisquam probabit. Sapientiam Ulixis ob eam quoque rem laudat, quod reputans secum, amantes multa mentiri et promittere quae fieri nequeant, Calypsus immortalitatem ei pollicentis preces non audiverit[5]); itemque gloriantem eum, ne Neptunum quidem Cyclopis oculum sanaturum esse, ab imprudentiae crimine defendit, quod sciat, Neptunum non esse medicum, sed Apollinem[6]).

---

1) Strom. II, 20. p. 485. Potter. — *τόν τε ἔρωτα κακίαν φησὶ φύσεως· ἧς ἥττους ὄντες οἱ κακοδαίμονες θεὸν τὴν νόσον καλοῦσιν.*

2) Julianus quoque (Orat. VII, 209 A, 215 C, 217 A) auctor est, eum fabulas ad quaestiones ethicas adhibuisse.

3) Diog. Chrys. l. l. *ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐξειργάσατο αὐτὸν* (*τὸν λόγον*) *οὐδὲ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπὶ μέρους ἐδήλωσεν.*

4) Cf. *οἱ δὲ σοφοὶ καὶ ἀγαθοί. — ἐν γὰρ τῷ ἑκάστῳ οἰκεῖον.*

5) Schol. ad Odyss. *ε'*, 211 et *η'*, 257.

6) Schol. ad Od. *ι'*, 525.

Schol. Venet. ad Iliad. λ', 637 nullius momenti est; nec satis liquet, quid sibi velit Schol. Lips. ad Iliad. ο', 123, ubi Antisthenis dictum, ὡς, εἴ τι πράττει ὁ σοφός, κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ, ad Minervam triplici modo Martem a pugna dehortantem transfertur. Denique Schol. Venet. ad Il. ψ', 65 jam supra (p. 40) libro, qui inscribebatur περὶ τῶν ἐν ᾅδου, attribuimus.

His praemissis singula tomi VIII. et IX. scripta perlustremus. Recte autem jam Osannus[1]) perspexit, in eorum distributione rationem quandam atque ordinem cerni, ita ut priore tomo ea scripta, quae ad totum hoc interpretationis genus pertinerent, velut de arte musica vel poëtica, de interpretibus poëtae, de Homero ipso, deinde ea continerentur, quae ad Iliadem spectarent, altero ea, quae Odysseae locos tractarent. Exstabant enim in octavo tomo haecce:

47) περὶ μουσικῆς[2]).

48) περὶ ἐξηγητῶν. Hoc libro consentaneum est eum allegoricam interpretandi rationem commendasse ex eoque aut ex eo qui sequitur sumptum esse quod Dio Chrysostomus l. l. commemorat.

49) περὶ Ὁμήρου.

50) περὶ ἀδικίας καὶ ἀσεβείας. Prima est commentationum ad Iliadem spectantium; referenda enim videtur ad libri primi initium, ubi Agamemno Chrysen filiam redempturum impie repellit et Achilli Briseidem injuste eripit.

51) περὶ Κάλχαντος. Ab eodem loco, ut opinor, hic liber profectus est.

52) περὶ κατασκόπου. Statim unusquisque recordabitur librum X. Iliadis et speculatorem illum intelliget Dolonem.

53) περὶ ἡδονῆς. Hic titulus quam alienus sit ab hoc loco, quis est quin videat? Itaque placet Osanni emendatio: περὶ Ἑλένης. Neque tamen probaverim quod addit vir doctissimus, particula ἢ inserta hunc titulum cum eo qui praecedit conjungendum esse, ita ut ille speculator intelligatur Ulixes et Antisthenes praeter Homeri narrationem etiam posterioris aetatis fabulam tractasse existimandus sit, qua Ulixes intra ipsos muros Trojae pervenisse ibique ab Helena agnitus per Hecubam servatus esse ferebatur.

---

1) Annal. crit. Berolin. 1842. p. 612 sq.

2) Libri ejusdem tituli tribuebantur Simoni et Simmiae (D. L. II, 122. 124).

Tomus autem nonus ad Odysseam pertinebat, id quod ipsi tituli satis demonstrant.

54) *περὶ Ὀδυσσείας.* Confirmatur hic liber etiam Phrynichi auctoritate [1]).

55) *περὶ τῆς ῥάβδου.* Mercurii potius virgam magicam [2])

— *τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,*
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

quam Circes [3]) vel Minervae [4]) significari arbitror.

56) *Ἀθηνᾶ ἢ περὶ Τηλεμάχου.*

57) *περὶ Ἑλένης καὶ Πηνελόπης.*

58) *περὶ Πρωτέως.* Haec commentatio spectabat ad Odyss. *δ'*, 384 sq. Scholia ad hunc locum allegoricas interpretationes continent, quarum non nihil fortasse Antisthenis est.

59) *Κύκλωψ ἢ περὶ Ὀδυσσέως.* Ex hoc libro petitum esse conjicio quod Schol. ad Od. *ι'*, 525 Antistheni attribuunt. Fortasse etiam reliqua fragmenta, quibus sapientia Ulixis laudatur [5]), huc referenda sunt.

60) *περὶ οἴνου χρήσεως ἢ περὶ μέθης* [*ἢ περὶ τοῦ Κύκλωπος*]. Hunc librum etiam Aristides rhetor commemorat [6]). Cur autem Winckelmannus eum sejunxerit ab Homericis non intelligo, praesertim cum illud posterioris manus additamentum (*ἢ περὶ τοῦ Κύκλωπος*) satis indicet, unde argumentum sumptum fuerit.

61) *περὶ Κίρκης.*

62) *περὶ Ἀμφιαράου.* Hic liber ad Od. *ο'*, 244 sq. et *λ'*, 326 pertinuisse videtur.

63) *περὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης* [*καὶ περὶ τοῦ κυνός*]. Postrema claudicant et haud dubie postea demum addita sunt. Significatur autem Argus, Ulixis canis, qui solus dominum redeuntem statim agnovit. (Od. *ρ'*, 291 sq.) Librum de Ulixe et Penelope imprimis spectasse puto ad Od. *τ'*, 53 sq. et *ψ'*.

---

1) Cf. p. 28.
2) Odyss. *ε'*, 47. 48; *ω'*, 2 sq. — cf. Il. *ω'*, 343.
3) Od. *κ'*, 238. 319.
4) Od. *ν'*, 429.
5) Cf. p. 51.
6) Orat. XXV, p. 560. *καὶ τὸ βιβλίον αὐτὸ τοῦτο ἐδόκει εἶναι Ἀντισθένους περὶ χρήσεως· ἔφερε δὲ εἰς οἶνον κτλ.*

Caput III.

De aliis Antisthenibus.

Reliquum est, ut de diversis hominibus, qui Antisthenis nomen tulerunt, quam potero brevissime exponam. Neque tamen omnes, qui a veteribus commemorantur, enumerabo, sed scriptores tantum eosque, qui cum Cynico nostro confundi possunt.

1) Antisthenem quendam, hominem locupletem, sed rei militaris plane imperitum, qui nihilominus imperator factus erat, commemorat Xenophon [1]). Aequalis fuit igitur Socratis. Choragi munere fungens complures reportaverat victorias [2]), qua re valde probabilis fit conjectura, ejusdem mentionem fieri in inscriptione quadam [3]), in qua inter alios, qui puerorum choro Thargeliis vicerant, nominatur Antisthenes Antiphatis filius Cytherius. Ad eandem victoriam alia inscriptio [4]) pertinere videtur, ubi idem Antisthenes reperitur. „Etenim qui honoris causa vel tripodem vel coronam vel tale quiddam accepissent, solebant eam rem dedicare.“ Fortasse idem Antisthenes is est, quem Aristophanes [5]) propter libidines exagitat. Scholiasta [6]) quidem eumque secutus Suidas [7]) narrat, illum Antisthenem medicum

1) Memor. III, 4, 1 sq.

2) Ibid. § 3. *οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ ὁσάκις κεχορήγηκε πᾶσι τοῖς χοροῖς νενίκηκεν.*

2) Boeckh. Corp. inscript. Gr. vol. I, 213. p. 343. 344.

4) Ibid. 128. p. 174 sq. *ὁ ἱερεὺς Πανδίονος Ἀντισθένης Ἀντιφάτους Κυθήριος ἀνέθηκεν.*

5) Eccles. v. 366 sq. et 806.

6) Ad v. 366. *Ἀντισθένης ἰατρὸς θηλυδριώδης καὶ οὗτος τῶν καταπρώκτων.*

7) s. v. *πρωκτός* et *χεζητιῶν*.

fuisse, sed id falso ex illo versu (Eccles. 363), ubi Blepyrus medicum sibi arcessi jubet, eos collegisse recte suspicatur Bergkius[1]).

2) Apud Diogenem Laërtium[2]) Antisthenes quidam inter eos commemoratur, qui librum Heracliti interpretati sunt. Hunc Heracliteum eundem esse cum Cynico nostro censuit Schleiermacherus[3]). Quod ut probet, sectae Stoicae a Cynicorum stirpe oriundae physicam affert, quam ab Heraclito repetitam esse inter omnes constat. Neque id negligendum esse arbitratur, quod apud Diogenem Laërtium (IX, 15) ille Antisthenes Heraclidi Pontico, Cleanthi, Sphaero, quos servato temporis ordine enumerari pateat, antepositus sit. Denique in Platonis Philebo p. 43 D sq.[4]) Antisthenem significari putat et illa verba, quibus voluptatis adversarii physicae rationis peritisimi appellantur[5]), ad Antisthenis studia Heraclitea referri vult. — Sed primum gravissimis argumentis in dubium vocari potest, num re vera Philebi ille locus pertineat ad Antisthenem; atque ut nunc id omittamus, tamen minime necesse est epitheton illud Platonicum ab Heracliti interpretatione repetamus, cum Antisthenem in physicis multum versatum esse index librorum ejus demonstret. Neque ullum in Antisthene vestigium philosophiae Heracliteae apparet. Quod vero apud Diogenem ille Antisthenes Heraclidi Pontico et duobus Stoicis antecedit, non infitiandum sane quidem est, eum aetate illis anteisse, sed non ex eo efficitur, illum eundem fuisse cum Cynico. Accedit quod Diogenes inter Cynici nostri opera nusquam interpretationem Heracliti commemorat et alio loco[6]) Antisthenem Heracliteum a Cynico distinguit. Denique Stoicorum physica argumento esse nequit, cum nulla re probetur, Stoicos a Cynicis aliud quidquam praeter ethicam assumpsisse. — Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Schleiermacheri sententia rejecta statuamus, illum Heracliteum

1) Comment. de reliq. com. Att. antiq. p. 86 sq.

2) IX, 15. cf. VI, 19.

3) Cf. Commentat. ejus de Heraclito in Buttm. Mus. antiq. t. I. p. 319 et praefat. ad Plat. Cratyl. p. 15.

4) Cf. annot. Schleierm. ad. h. l.

5) p. 44 B.

6) VI, 19. *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι Ἀντισθένεις τρεῖς· Ἡρακλείτειος εἷς, ἕτερος Ἐφέσιος καὶ Ῥόδιός τις ἱστορικός.*

unum de sectatoribus Heracliti fuisse, qui Platonis aetate in Jonia floruerunt[1]).

3) Diogenes Laërtius (VI, 19) secundo loco Ephesium quendam Antisthenem commemorat, de quo nihil constat. Nisi forte Diogenem erroris arguas et illum Heracliteum ab Ephesio non diversum, Heracliti igitur Epheso oriundi popularem fuisse existimes.

4) Tertium locum apud Diogenem tenet Rhodius quidam historicus. Ejusdem una cum Zenone Rhodio mentionem facit Polybius[2]), utrumque dicens in Rhodiorum republica versatum aetatis suae scripsisse historiam. Eos c. annum 200 a. Chr. n. floruisse ex iis apparet, quae ille eos tractasse tradit. Proelium enim navale ad Laden commissum, quo Rhodii a Philippo Macedoniae rege victi sunt (203), et Nabidis tyranni contra Messenios expeditionem (202) narraverant. — Antisthenem vero quendam Peripateticum de pugna ad Thermopylas facta, qua Acilius Glabrio Antiochum Magnum fugavit (191), scripsisse Phlegon auctor est[3]). Nonne admodum probabile est, hunc Peripateticum ab historico illo Rhodio non diversum esse? Suidam[4]) autem, qui ipsum Socraticum primo appellatum esse dicit Peripateticum, errare apertum est. Nam nemo veterum hoc cognomen Antistheni tribuit, neque assentior Bernhardio rem ita expedire conanti, ut Antisthenem „clamosa quadam ambitione dissertandi περιπατητικοῦ h. e. disputatoris nomen commeruisse" velit; immo vero cum Jonsio[5]) statuendum esse arbitror, Suidam Socraticum cum Peripatetico confudisse et ex duobus unum fecisse Antisthenem. Aliam rem Suidas ipse in dubio relinquit. Tradit enim, Antisthenem edidisse librum, qui inscriberetur Μαγικός, in eoque exorsum esse a Zoroastre; addit tamen, hunc librum alios Aristoteli, alios Ῥόδωνι adscribere. Sed neque Aristotelis est, cui a Plinio[6]) quoque et Diogene Laërtio[7]) falso tribuitur, neque Antisthenis, cujus

1) Plat. Theaet. p. 179 D. sq. — cf. Krischii Quaest. de phil. antiq. p. 238. 239.

2) XVI, 14 sq. — cf. Clinton. fast. Hell. ad a. 198 a. Chr. n.

3) De Mirabil. c. 3. init.

4) s. v. Ἀντισθ. „ὅστις περιπατητικὸς ἐκλήθη πρῶτον, εἶτα ἐκύνισεν". —

5) De scriptor. histor. phil. lib. I. p. 46.

6) Histor. nat. XXX, 1.

7) Prooem. 1 et 8.

libros Diogenes (VI, 15 sq.) enumerat nusquam hujus Magici mentionem faciens. Reliquus est ille tertius, cujus nomen manifesto corruptum optime a Bernhardio ita emendatum est, ut pro Ῥόδωνι legatur Ῥοδίῳ. Ad eundem igitur historicum Rhodium etiam Magicus referendus esse videtur.

Diogenes Laërtius compluribus locis Antisthenem quendam aut simpliciter[1]) aut libro ejus addito (ἐν ταῖς διαδοχαῖς)[2]) laudat non significans, quis fuerit ille Antisthenes. Alexandrinorum aetate eum vixisse ipse titulus libri indicat, qui a grammaticis Alexandrinis primis usurpatus est[3]). Accedit quod in illo libro et Menedemus Eretriensis[4]), qui c. Ol. 125, 4 (277) paulo post Antigoni victoriam de Gallis reportatam mortuus esse videtur[5]), et Cleanthes Stoicus[6]), qui eum vita etiam superavit, commemorati erant. Cum vero Diogenes Laërtius VI, 19, ubi tres enumerat Antisthenes, haud facile hunc τῶν διαδοχῶν auctorem omittere potuerit et Peripateticum illum, quem Phlegon laudat, ab historico Rhodio non diversum esse collegerimus, nihil obstat, quominus eidem Antistheni etiam librum de philosophorum successionibus attribuamus. — Fabricius[7]) autem Antisthenem Rhodium confudit cum Agrigentino quodam, cui cognomen erat Ῥόδος[8]). Sed hic duobus saeculis ante illum vixit, quo tempore Agrigentum a Carthaginiensibus expugnatum est (Ol. 93, 3; 406 a. Chr. n.). —

Num ad eundem Rhodium referendus sit liber de pyramidibus, cujus Plinius[9]), et „Meleagris", cujus Plutarchus[10]) mentionem facit, in dubio relinquimus.

Nec minus ambiguum est, quid judicandum sit de Antisthene

1) IX, 38. 39. 52.
2) I, 40; II, 39. 98. 134; VI, 77. 87; VII, 168; IX, 6. 27. 35.
3) Cf. Brandis. Hist. phil. Gr. I. p. 31 sq.
4) Diog. L. II, 134.
5) Diog. L. II, 141 sq.
6) Diog. L. VII, 168.
7) Biblioth. Graec. II. p. 699.
8) Diodor. XIII, 84.
9) Hist. nat. XXXVI, 12.
10) De fluminibus (tom. XIV. p. 469 Hutten).

Academico, quem Johannes Sarisberiensis[1]) laudat. Christianus quidem Petersen[2]) eum a Peripatetico, quem nos eundem fuisse collegimus cum historico Rhodio, non diversum putat, sed cum apud veteres scriptores nullum usquam Antisthenis Academici exstet vestigium, nescio an Johannem in nominis errore versatum esse existimandum sit.

Denique paucis commemorare liceat, Brunckium[3]) eumque secutum Osannum[4]) falso de comico quodam Antisthene loqui ejusque versiculos nonnullos ex Stobaei Florilegio[5]) afferre. Non sunt enim Antisthenis comici, quem nunquam fuisse opinor, sed Antiphanis, eique recte illud fragmentum restituit Meinekius[6]). —

Haec habui quae de vita et scriptis Antisthenis exponerem. In animo quidem mihi erat etiam philosophiam Cynicam continua disputatione explicare, sed ne usitatum hic libellus excederet modum, id in aliud tempus differendum esse videbatur.

1) Entheticus de dogmate phil. v. 1139—1144.

„Doctior Antisthenes Academicus omnia solum
Scire Deum dicit et ratione probat.
Asserit et superos quam plurima scire, nec omnes
Omnia, mortales paucula scire putat.
Haesitat in cunctis, nisi quae ratione probantur
Viva, cui stupor est non habuisse fidem."

2) Cf. acta philol. Germ. VI, 107. 109.
3) Ad Aristoph. Nub. v. 199.
4) Annal. crit. Berol. l. l.
5) Florileg. LXXIV, 9.
6) Fragm. Comic. Graec. vol. III. p. 151.

Typis Blochmanni Dresdensis.



